PAVLINI A S. IOSEPHO

CLER. REG. SCHOLARVM PIARVM PRAEPOSITI GENERALIS

ORATIONES XXIII

HABITAE


IN ARCHIGYMNASIO ROMANAE SAPIENTIAE

PRAEFATIONEM DE INGENIO ORATORIO

ADDIDIT

IOANNES PETRVS MILLERVS

GYMNASII VLM. RECTOR, HISTOR. ET GRAEC. LING. P. P. EIVSDEMQVE REI PVBLICAE BIBLIOTHECARIVS SOCIET. LATINAE IENENS. AC TEVTONICAE HELMSTAD. COLLEGA HONORARIVS






A. S. CIƆ IƆ CC LVI.



VLMAE

SVMTIBVS IO. FRIDER. GAVMII





LECTORI
HVMANITATIS STVDIOSO
P. S. D.
IOANNES PETRVS MILLERVS.

Magnum et laetabile fortunae beneficium est, bene nasci, atque pauci eo nomine, opinor, toti quidem sibi displicent. Amat vnusquisque proprias naturae dotes, ac, tametsi alias in aliis subinde viderit haud paullo luculentiores; tamen et in suo modulo non aegre adquiescit. Quidni vero, quum diuersae rerum notiones apud homines exsistant, animorum etiam adfectiones, quae potissimum cientur istis, varias obseruaremus? Etenim optabile habetur, quod iudicio probamus; sed non alia res citius opinionem boni prae se ferre solet, quam in cuius vsu et possessione nostras etiam non

nullas esse partes autumamus. Videas hoc inter alia, quum primum, quid sit, bene natum esse, e diuersis comperire velis. Nam hic alii fortasse, prouti cuiusque genius suadebit, splendidos maiores, alii membrorum artuumque adfabre conformatorum robur, alii formosae faciei veneres, aliique item alia laudabunt, atque illa quidem in se minime spernenda, sed quae ad externam tantum hominis conditionem attinere videantur: at qui animum praecipuo ducendum loco didicerunt, eos fere prosperum habere ortum iudicabunt, qui ingenio sint praediti soluto, id est, quod non leniter tantum, et expedite citra aliquam offensionem, sed et efficaciter ad disciplinae atque disquisitionum rationes veniat; cuiusmodi in Theaeteto, caeteroqui minime formoso, Theodorus quondam praedicauit, et quo se contentum esse Socrates, interprete PLATONE*, *declarauit. Et quid in seuerioris sapientiae alumno amplius philosophorum ille princeps postulare potuisset, quam vt facile inueniat, quod ipse dicere instituit; vt, quae alii exponunt, rite capiat; vt denique*

* Εὖ ἴσθι, ὅτι ὧν δὴ πώποτε ἐνέτυχον, (καὶ πάνυ πολλοῖς πεπλησίακα) οὐδένα πω ᾐσθόμην οὕτω θαυμαστῶς εὖ πεφυκότα. Et quibusdam interiectis: ὁ δὲ οὕτω λείως τε καὶ ἀπταίστως, καὶ

denique solute de re quapiam argumentari discat? Nam si ea indole quis a natura sit instructus, vt earum facultatum semina in se conclusa habeat, fieri vix potest, quin, magistri paullulum sollertioris ope accedente, huiuscemodi ingenium, vt ager fertilis et bene cultus, laetior in dies floreat, et, quanto crebrius industria ac sapiente rerum vsu exercetur, tanto etiam vberiores fructus, quum priuatim, tum in publica societate, ferat. Et quam bene vniuerso generi humano protinus consultum foret, si pars maior saltim ea indole in lucem ederetur! verum enim vero pauci sidere tam fausto nati sunt: et quum natura alios his dotibus insignes, aliosque aliis muneribus instructos velit: ecquid nobis faciendum aliud restaret, nisi vt ingenia sollerter exploremus, atque eos, quos natura mater paullulum benignius respexit, quoquo studio et artificiosa diligentia erudiamus? Inter ea ne de hisce quidem opinandum erit, ac si ad quascunque artes, atque literarum studia tractanda aeque apti essent. Saepe enim aliquis ingenio praeclaro pollet, et quum

καὶ ἀνυσίμως ἔρχεται ἐπὶ τὰς μαθήσεις τε καὶ ζητήσεις μετὰ τῆς πρᾳότητος κ. τ. λ. PLATO, in Theaeteto, oper. tom. I. p. 144, ed. IO. SERRANI.

ad rem aliquam perficiendam adhibetur, animi sterilitatem sui ipse demiratur, cassum et inutilem se in re publica futurum esse cernens, si hoc vnúm, aut potissimum tractare iuberetur. Vicissim vero est et alius, qui ingenii dexteritati parum alioqui fidens. operi cuidam forte manum admouet, et ob successus solito maiores aegre sibi ipse credit; nescius huc vsque, se his talibusque rebus peragendis a natura esse destinatum. Et hinc quidem intelligimus, quid sit, quod M. TVLLIVS, *in quo natura vere, nisi fallimur, experta fuit, quam disertum atque eloquentem hominem formare possit, eo libro, quem* de claris oratoribus **) *inscripsit, in M. Scauro atque P. Rutilio, praeclaris admodum Romanis, non ingenium omnino, sed tamen* ORATORIVM INGENIVM *desiderauit. Vt enim non eaedem penitus philosophi et oratoris partes sunt, sic etiam hi viri, quamquam eruditi, et in Stoicis propemodum perfecti erant, doctrina, nec non peracuta meditatione sua non impediuerunt, quo minus in agendis caussis aliquando inopes aestimarentur. Videlicet non amat populus exile et adstrictum*

**) cap. XXIX.

ſtrictum veluti orationis genus, cuius comparandi gratia philoſophi laborant, ſed liberius quodammodo et multiplex nec raro etiam magnificum audire geſtit: quare, qui in dialecticis conſumunt curas, atque ad has quaeſtiones extricandas ſuomet ingenio feruntur, popularem raro admodum adſenſionem conſequuntur.

Caeterum, ſi volupe eſt, agedum, virtutem oratorii ingenii iam paullo explicatius intueamur. Virtutem, inquam, vt ne totum illud, et quod plane comprehendi debet, male diſſecetur: quamuis etiam virtutes adpellare potuiſſem, quoniam non vna tantum laus, perfectioque, nobis hic oſtenditur. Et quum ſuus vnumquemque ſenſus facile admoneat, duas animi in nobis omnibus ineſſe facultates, quarum alteram intelligentiae, alteram voluntatis verbo inſignire ſolent: equidem priorem illam maxime reſpiciens hoc primum volo, vt, qui ad orandum ſe accingit, commode et expedite alios docere poſſit. Nempe quum orator perſuadere audientibus contendat, illud quidem tota mente ac perpetuo tenere debet, vt ignotae rei nullum; ita etiam obſcurius propoſitae obſcurum quidem, atque in vtramuis partem anceps, nuſquam vero clarum

atque expeditum aliquod iudicium haberi posse. Quanto autem hic ingenio sit opus, vt retrusa, vt perplexa, vt contorta, et quae alia sunt difficilia, non eruamus tantum, sed et tricis suis plane exsoluamus, pluribus non explicabo, quum id ipsum quilibet, me etiam tacente, diuinare possit. Nec enim, Cicerone iudice, dicere quis bene potest, nisi qui prudenter etiam intelligat; vbi quidem otiosum esse non existimamus, quod intelligendi vim prudentia perfusam quasi, et scienter temperatam velit. Et videmus aliquando, qui sat bene res, et rerum omnia adiuncta animo comprehenderunt: sed qui nihilominus in lucem ad dicendum in re grauiori aliqua traducti magno nisu nihil docent, et a scopo suo nimium diuertunt. Hoscine nos autem rite ac prudenter autumabimus intellexisse, quae intellexerunt? Hoscine nos oratores diceremus, qui orando animos discendi auidos illaqueant, et propensa audientis voluntate, oratorii ingenii defectu, abutuntur? imo vero maius aliquid prudentia, quam diximus, intelligendi infert, quam quod a quibusuis, dicere instituentibus, sperari atque exspectari posset. Neque enim trita et vulgaria narrare, sed rem vulgo minus notam scienter, perite,

et

et ornate explanare, oratoris eſt. Itaque is multa inuenire, multa ratiocinando cernere et comperire debet, ſi id nominis cum dignitate quadam ſuſtinere velit. Poſtmodo quum multa ſecum ipſe cogitauit, alia mox adhibenda illi cura erit, vt, quaecunque eſt dicturus, non tam ſua ex conditione metiatur, aut ex forma, qualem ipſe fuit animo complexus; quam ex mente audientis, et ad huius maxime intelligentiam ſe atque cogitata ſua omnia conformet. Sed id ipſum omnium artificum praecepta, vt opinor, ſuperat; nec impetrari aut hauriri alio ex fonte poteſt, quam ex ipſa indole, cui haec facilitas, hic vigor, atque hoc acumen, iam ingenerata eſſe debent. Adde, quod his veluti limitibus, tam arctis, tota haec prudentia nequaquam circumſcribi poſſit. Vere enim ea in his quidem incipit; nec tamen longius progreſſa temere conſiſtit prius, quam ad metam quoque auditores commode perduxerit. Igitur iam penſitatis rebus omnia ad actionis genus, id eſt, ad negotii praeſentis inſtitutum refert, vtque fidem faciat dicendis, rationes alias ex rei, loci, temporisue, alias ex perſonarum indole ſcienter elicit, promitque; numero haud quidem ita fidens, vt delectu, in

quo ſapiendi ſtudium vel maxime verſari, vſus ipſe quemuis edocere poteſt. Et quum alia ex aliis oriri, et nonnulla fere negligi ab audientibus, nonnulla autem pluris fieri ſolere, aliunde conſtet; ea quidem ſingula celeriore mentis motu colligit in vnum; ſed mox etiam in ſe regreditur, ac meditata ſua ita ordinat, vt illa fini ſuo congrua, et ad perſuaſionem apta fore arbitratur. Nimirum vt non malus imperator in exercitu aduerſus hoſtem educendo non tam multitudinem, quam robur, ſpectat, atque aciem diſponens fortiores a peioribus ſeiungit quidem, ſed vtrosque tamen eo loco collocat, quo opera illorum in conflictu vtiliſſima videtur: ſic orator quoque ſuis veluti ordinibus argumentorum vtitur, et alia in fronte, alia a tergo ponit, caeteris debilioribus in medio relictis, vt a primis illis vel ducantur, vel ab vltimis impulſa magis roborentur. Eadem iam prope modum de ſententiis, quae quaſi animam conſtituunt orationis, dicere licebit; vtpote quae itidem ingenii ſunt opus, et iudicio ad rerum hominumque indolem curate conformari debent. Et qui vmquam bene cadere eaedem illae poſſent, ſi a vero, vel ab re propoſita, omnino alienae, vel accitae ſaltim paullo longius,

auribus

auribus intelligentiorum inculcentur? Vere enim huiuscemodi naturae nostrae sensus est, vt, nisi consuetudine sit plane deprauatus, verum diligat, et odio in falsum accendatur; ea animi commotione vt, si quae mentita veritatem magni fecimus aliquamdiu, statim ex quo falsi sunt comperta, respuamus. Neque vero cautiores esse arbitramur eos, qui sententias composito acumine plus iusto poliunt, adcumulantue supra modum. Simul atque enim vel alterutrum fit, vel vtrumque, tantum abest, vt auditor de subiecta re vberius instituatur, vt ad istas multo potius non secus, quam ad flores mire pictos, adhaerescat, ac sermonis integri interea ex oculis dimittat cursum. Nouerunt olim istud, qui florente Latio dicendi arte valuerunt, principesque oratorum visi sunt, quapropter etiam aetate Tullii acuminum non ita frequens vsus erat: etiamsi horum posteri et successores pleraque repente commutarunt, atque vberi dicendi generi acutum, grauiori molle, simplici ac naturali amputatum, et pudico maculosum, vel ambitiose infucatum, pessimo consilio substituerunt. Sed hi poenas imprudentiae iam dudum luunt, et quum vitium non aliunde magis contraxisse videantur, quam quod

nimium

nimium placere contenderunt; ſequitur, vt, quid in ea re probari queat, ſtrictim indicemus. Omnino autem ea quoque laus in oratorio ingenio ineſſe debet, vt amoena quadam ratione delectare ſciat. Nec infitiandum, partem huius curae verba ſibi vindicare, partem vero ad res ipſas eſſe referendam. Etenim qui verba adeo non curat, vt et inquinate loqui non revereatur, aut in iis deligendis, collocandis, atque comprehenſione maxime idonea deuinciendis nil laboret; nae hunc ruri ſemet continere, et cum ſqualidis hanc vitam agere oportet, ſiquidem nequidquam ad vrbanum oratoris decus adſpirauerit. Quae vero in ornandis verbis regula habetur, eadem in variis ſententiis illuminandis itidem ſeruanda erit. Sed fortaſſe rectius intelligar, ſi haec duo vno elocutionis nomine adpellem, quae in vniuerſum oratori ſic eſt commendanda, vt iudicibus iuſtitia, patronis cauſſae ſuae paullo plenior cognitio, medicis notitia remediorum, nautis ſiderum diſtinctiones, atque belli ducibus ſcientia virtusque militaris commendari ſolent. Nam hi omnes ſi non penitus et quaſi proprias poſſideant has memoratas laudes, vtique ne nomen quidem ſuum tuebuntur, et quum opera ipſorum requiretur,

retur, ipsi sese deridiculo exponent. Sane vero, si sermones serere, et loqui, omnes, quotquot homines censentur, qualicunque modo sciunt; quid est tandem, in quo oratorem, elocutione vacuum, a reliquis distinguas? possunt alii, quocunque modo velint, sensa animi cum aliis communicare, possunt ornamenta quaeuis spernere, possunt sine suauitate dicere, nonnunquam etiam a norma linguae ordinaria non nihil aberrare: at orator omnium eorum nihil potest, quum orator verus esse sine eloquentia non possit. Scilicet hic maxime, et paene solus est, a quo non modo rectum et sincerum, sed et pulchrum, in sermone haud immerito requirunt auditores. Pulchrum vero generatim nihil aliud vocamus, quam quod rationem continet perfectionis, in quantum nempe illa rite etiam percipitur. Atqui huius sensum quum natura cunctis ingenuerit, et ratio confirmet, quid est, quare studium illius in oratione exsularet? Enimuero parum abest, quin ingratos et propemodum iniurios in DEVM *esse dicam, qui orationem, hoc est, munus illud longe maximum, quo omnis hominum societas in mundo continetur, ita eleuant, vt de sollicito illius cultu et ornatu parum esse laboran-*

dum

dum opinentur. Accedit vero, quod et delectationi ita faueat naturae auctor, vt, quodcunque fecit, pulchrum fecerit, eoque non inepte auctor quoque pulchritudinis existimetur. Caeterum non negem, pulchrum aliquando sibi fingere mortales, quod ad pulchri regulas exactum tam excellens nomen minime meretur. Nec enim, quia res perfecti speciem et quasi formam habet, ea etiam continuo perfecta est. Mentitur ista saepenumero colorem, et, si eam propius attentiusque spectes, vana esse deprehenditur. At quod vere pulchrum est, varietate primum animos demulcet, erigitque vel paullatim, vel celeriore motu, ea efficacia, vt attentiores illi ipsa quidem contemplatione fiant, et, quo magis multitudine visorum occupantur, eo magis etiam iisdem oblectentur. Neque vero metuendum est, vt hanc varietatem oratorium ingenium decenter adsequatur. Habet enim illud in verborum maxime delectu, quo orationem, tamquam aliquam imaginem, condignis vestibus exornet. In promtu ei sunt vocabulorum copia, proprietas, vis, pondus, dignitas, decorum, granditas, et alia, quae ipsi plane seruiunt, quemadmodum cuiuslibet natura membri id exigere videtur. Perinde autem

in

in bis quidem se orator gerit, vt interpres, qui, si catus fuerit ac prudens, res ab aliis noscendas iis signis effert, quae iam ante sint adcommodata rebus, easdemque planius declarent. Verba autem nostra, siue voces, signa rerum sunt, nec adeo putandum, aliquanto minus ineptire, qui res tenues, exiles, ac demissas, grandibus magnificisque; magnas et excelsas autem vulgi vsu tritis et humilibus vocabulis designat: quam qui

delphinum siluis adpingit, fluctibus aprum.*)

At si congruus verborum modus a conditione rerum pendet, quae, haud dici potest, quantum et natura sua differant, et attributis; oratio fortasse, tot varietatibus distincta, male sibimet constabit! Et fatendum nobis est, sic euenire posse, si quis debita dexteritate non instructus oratoris munia obire velit: interim vel ob id ipsum, ac ne quid huiusmodi contingat, excellenti indole ingenioque opus erit. Illud vero neruos suos non nequidquam, vel conatu irrito, intendet, vt, quod varium in sese, simul etiam aequabile compareat, et inter tot disparia perfectus tamen aliquis consensus obseruetur. Omnino autem ea partium diuersi-

tas

*) HORAT. art. poet. v. 30.

tas et dissimilitudo adeo perfectioni, atque pulchro ex perceptione huius orienti, nihil obsunt, vt legitime tractatae potius ad eam mire faciant. Quid enim? annon corpus quoque nostrum diuersissimis, non forma tantum, sed et mole, partibus conglutinatum est, quae tamen per diuinam conditoris sapientiam tam apte inuicem cohaerent, vt in ea etiam compage, qua coaluerunt, itidem cum quodam iustae magnitudinis decore inter se conueniant, et ordine non minus, quam mensura, venustissime conspirent? Ad haec ergo, vel non nimis dissimilia exempla orator verba sua, et verborum ambitus, et sententiarum orbes diligentius conformat; haec sollerti quadam imitatione aliquantulum exprimere, et licet saepe cum difficultatibus sit confligendum, ingenii virtute tamen vincere conatur. Atque hunc in modum ille quidem aridi simul opprobrium deuitat, ieiunique adpellationem effugit. Caeterum non ista tantum cauet; sed vt parum, ita quoque nimium auersans, limites vtrinque seruat. Et est sane vitium, quod Graeci vno nomine κακοζηλίαν vocant, oratoribus insidiose nocens, reliquisque odiosum, quando id, quod vltra modum est virtutis, peruicacius adpetitur, et

copia

copia ingenii vi iudicandi non, vt fas eſt, temperatur. Eo autem temere admiſſo fieri non poteſt, quin peruerſe omnia agantur. Nempe quomodo prudentioribus placeret, quod non deceat? quî vero decens etiam exiſtimari poſſet, quod menſuram recti ſupergreditur? Exige vel ſemel tantum ad decori atque dignitatis modum id, quod aliter, quam ſat eſt, fingitur; et aduertes illico, opinor, abundare quiddam hominis naturae inimicum, et a pulchritudine longiſſime remotum. Sed, ſi ipſe facile hoc perſentiſcis, caue putes, vulgum talia percipere non item poſſe. Etenim mirabile eſt prorſus, quum in faciendo plurimum interſit inter doctum atque rudem, quam non multum tamen illi aliquando differant in iudicando. Pauci ſunt, opinor, qui modorum atque numerorum muſicorum rationes tenent; at, ſi paullulum ab iis, qui hanc artem tractant, adfectatione fuerit erratum, docti et indocti ſe offenſos putant. Neque diſpar nobis horum quidem numerorum atque vocum ratio videtur. Nam ſi homines hoc faciant in iis rebus, ad quas cognoſcendas a natura minus habent inſtrumenti; quid non in diiudicandis verbis poſſent, quorum ſenſus ſeu ſignificatus ipſimet naturae ſuae ſunt infixi, atque con-

)( )(*ſuetudine*

ſuetudine longiſſima corroborati? Itaque ingenium, quod oratori conuenit, huiusmodi immodica et redundantia libenter mittit, quin minuta etiam interdum praeterit, maiori animo adgrediendam eſſe eloquentiam cum FABIO QVINCTILIANO *) *cenſens, quae, ſi toto corpore, vt ille ait, recte valeat, polire vngues, et reponere capillum, non exiſtimat ad curam ſuam pertinere. Reſtat, vt ad tertium virtutis gradum accedamus, quo ingenium, quod adpellamus oratorium, id ſpectat maxime, vt auditorum animi adpoſite commoueantur. Et hic ſane omnis vis, et cuncta lumina ipſius ſeſe exſerunt: tametſi vſus eius non vbique ſit eodem modo requirendus. Ecquid enim loquimur? quid argumenta ponderamus, atque ordine concinno ponimus? quid item ſuauiter conciliare animos, et delectare iuuat, niſi etiam orationis tam ſollicite ad auditorum ſtudia compoſitae obtineamus fructum? hoc eſt, niſi illos plane etiam ad eum motum, quem et cauſſae ratio, et ſcopus noſter poſtulauerit, vocemus? Quam multa autem hic occurrant ſtudioſe obſeruanda, breuiter haud facile declarauerimus, quapropter*

*) Inſtitut. orat. L. VIII. prooem. p.663. ſeq. ed. P. BVRMANNI.

propter etiam non nisi potiora attingemus. Dicendum quippe est non de re vna, nec eodem semper loco, nec ad homines eosdem, neque ex iisdem caussis; quae res, siue attributa rerum, tamen omnem ordinem agendi variant, et adeo ingenium exposcunt, quod in omnes formas se conuertat, ac ducendis aliis non minus aptum sit. Tum vero interest, vt bene aliquis cognoscat, et, qua potest fieri sagacitate, velut odoretur, qui sint auditorum mores, quaenam publica persuasio, quid pars maior sentiat, existimet, exspectet, velit? quare hoc, vel illud, probent; quibus modis tandem flecti, excitari, atque alio, si opus fuerit, deduci queant? Quumque adeo aperta pectora non omnes gerant; sed nonnulli vere sint profundi, et in se reducti; non difficile, opinor, erit ad intelligendum, quam repente omnis illa ars dicendi, a rhetoribus excogitata, ea quidem in re defectura sit, ni tota ab ingenio, vt ita dicam, animetur. Sed nec omnis caussa, de qua verba facienda sunt, requirit, vt ad auditorum animos mouendos grauiter agamus. Nam si res tenuior aut parua sit, quid ibi motus excitare, atque faces admouere attineret? Attemperandus multo potius est sermo rei, et, si haec sedatum et com-

positum orationis genus velit, non cunctanter obsequendum est; quum certe etiam in mentes hominum nil aeque influat, quam si et dicta nostra fluere ex ipsa rerum atque hominum natura videantur. Eadem prudentia tum forte adhibenda est, quum in flectendis animis oratione vel fortissima nos parum esse profecturos praesenserimus. Habet enim noster animus sublime quiddam atque hinc non facile auscultat arroganti. Arrogans censetur autem, qui vim parat aliis, iisque liberali disciplina institutis; quare etiam plerumque ista via nil efficitur, quam vt in auditorum animis tumultus quasi aliquis exoriatur, qui vim rationis turbat, atque ipsam veri impedit cognitionem. Quodsi vero nihil quidquam horum intercesserit, et caussa plane postulet, vt armis grauioribus ab oratore dimicetur; quis non videt, ab ingenio subministrari optima subsidia debere? Itaque optabit ille quidem, vt in huiuscemodi negotio perficiendo aliquam commotionem animorum auditores vltro adferant, quum, vt est in prouerbio, currentem incitare sit facilius, quam commouere languescentem: at, si etiam spes illa decollarit, ipse tamen ideo non languet, sed, vt concitare possit, concitata mente rem adgreditur. Ibi ergo non ignarus,

ignarus, plurima commotione mentis, pauciora autem rei veritate, iudicare homines solere, primus omnium personam induit, quam ceteris adcommodare e re sua arbitratur. Atque in hoc mentis statu quis amorem, odium, cupiditatem, iracundiam, timorem, spem, laetitiam, dolorem, ac misericordiam, itemque alias his talibus propinquas vel adfectiones animi, vel perturbationes, latius describat, quas hic vnus commoda occasione data ciet, atque sic omnino ciet, vt hi motus singuli in ipso iam impressi esse videantur. Nec sane ea huius rei est facilitas, quam multi fingunt, forsitan et aliis in rebus laudabilibus, certe quidem in dicendo minime exercitati. Non enim, sicuti sententiae, et argumenta, paruo vel mediocri negotio promuntur: ita etiam propensiones hominum mouere in procliui est. Abhorrent isti aliquando a sententia dicentis, et adsensum de industria tam diu retinent, quam diu se habere putant, quo opinionem tueantur. Ii ergo, nisi callide, prudenter, et cum ratione agas, tuam animi, et vocis, et quarumuis virium contentionem forsitan ridebunt, et incendium, quod excitare voluisti, subito restinguent. Ac tum fere opus erit, vt, quod rei postulat conditio, amplecti, et vtrasque,

 lenius,

lenius, acrius, agendi partes nauiter explere ſcias, aliterque te ad temperatiores, aliter ad concitatiores motus animi componas. Vellem quoque, fieri ſi poſſit, vt mens tua mediis in turbis penitus compoſita maneret. Nam qui impetu pro ratione vtens recta, conſentanea, et cauſſae profutura adcuratius diſtinguere valeret? Caeterum ſi reliqua vulgaria ingenia tot, tamque variis difficultatibus obiectis facile perterreſiunt; oratorium adnititur, vt eo fortius perrumpat. Hinc iam ante quoquo ſtudio ſollertiaque cogitat, exquirit, proſpicit, et parat, quae iuuare in ancipiti fortunae caſu poſſint, et, ſi vſus ferat, animis eiusmodi aculeos infigit, qui non facile euelli queant.

Sed quo vſque tandem oratorii ingenii virtutem, ſiue dotes, perſequemur, quae omnino tam mirabiles multiplicesque ſunt, vt eloquentia nec ipſa eas ſingulas narrare, nedum, prouti cuiusuis dignitas meretur, exornare poſſe mibi videatur? Equidem bic

*) Paulinus Chelucci a S. Ioſepho, natus Lucae in Etruria a. d. 25. April. A. C. 1682. nomen familiae Clericorum Reg. Scholarum Piarum dedit a. 1699, et tranſacto ſtudiorum tirocinio a. 1705. rhetoricae magiſter in prima ſui ordinis domo S. Pantaleonis de Vrbe conſtitutus, poſt haec vero ſtudiorum praefectus aqud Vrbinates dictus eſt. Quum hic fidem et ingenium egregie probaſſet ſuum, Romam euocatus Collegio Nazareno non ſolum docendis diſciplinis mathematicis operam inſignem praeſtitit, ſed et dnodecim omnino annos illi praefuit. Eloquentiae fontes in Archigymnaſio Romanae Sapientiae aperuit iam

bic digitum ad partes aliquas, et quaſi capita, in quibus illud antecellere inprimis, atque admirandum ſe praebere ſolet, leuiter intendi: omnem vero vim illius ſi quis plane exponendam arbitretur, is haud dubie ne rei quidem magnitudinem adhuc perſpexit; atque ego malim, inſcientiam quodammodo ſpectari meam, quam loquacitatem adcuſari. Habes vero hic Orationes, *quae ſi exornatae pluribus ingenii, et quidem oratorii ingenii luminibus non videantur, fruſtra tibi ſingulas ſermonis elegantias explanauerimus. Namque in intelligendis atque iudicandis hominum ingenio pollentium operibus itidem ingenio nonnumquam opus eſt. Recitauit eas aliquando vir reuerendiſſimus,* PAVLINVS A S. IOSEPHO, *) *quum in Romanae Sapientiae Archigymnaſio eloquentiae prouinciam moderaretur, et orator non Romanis tantum ſuis viſus eſt, ſed etiam permultis aliis intelligentibus et eruditis viris, inter quos honoris cauſſa hic praecipue laudamus veterem fautorem noſtrum, virum longe celeberrimum,* IOANNEM ERHARDVM

KAP-

iam inde ab a. 1713, et quam digna ratione hanc prouinciam adminiſtrauerit, orationes inter alia ipſius opera loquuntur. Nec virtuti eius praemia maiora defuerunt. Namque in comitiis ordinis ſui generalibus a. 1742. inter illos quatuor eſt cooptatus, qui *Aſſiſtentes Generales* adpellantur, et quum a. 1751. IoſephusAuguſtinusDelbequius a S. Nicolao, Alguierienſium in Sardinia antiſtes factus eſſet, ipſe primus ordine Aſſiſtens Vicarii Generalis nomine ſucceſſit. Et modeſtiae illius quidem iam ſufficere is honor videbatur; verum Benedictus XIV. merita ex aequo aeſtimare ſolitus, dato Breui Apoſtolico, *Generalem* illum ſalutari iuſſit.

KAPPIVM, *eloquentiae in academia Lipsiensi professorem meritissimum, qui iam anno R. S.* CIↃIↃCCXXVIII. *priorem, anno autem huius saeculi* LIII. *posteriorem harum orationum partem recudendam in Germania curauit. Expressit ille autem exemplaria Romana ann.* CIↃCCXXVII. *et* CIↃCCXLVIII, *sua libertate vsus, atque ita, vt, quae bene prorsus et egregie, quaeue minus pure atque emendate a* PAVLINO *dicta esse animaduertisset, pariter moneret; id quod ipsi etiam* auctori *non displicuisse, satis constat. Et quum ea ita sint, nos quidem animum non temere induxissemus, laborem iterare iam ab alio susceptum, nisi reuerendi viri, qui in nostra Sueuia* Pias, *quas adpellant,* Scholas *dirigunt, exemplarium inopiam caussati nouam a bibliopola, viro honestissimo, editionem rogitassent, eamque eo fere habitu distinctam, quem* auctores classici, *nouissimo decennio in lucem publicam a nobis missi, induerunt. Ita vero mea simul opera requiri coepit, promissumque, ratum fore, si prooemii in modum quidquam commentari ac praefigere luberet; sed non aliud quid huic operi adcommodatius, quod impertirem, suppetebat, quam quod modo de ingenio oratorio, et virtutibus illius, dixi. Dab. e museo, Vlmae Sueuorum, prid. Id. Augusti,* A. R. S. CIↃ IↃ CCLV.

ORA-



Orationum
Paulini a S. Iosepho
Series.

XII. De





Eminen-



Eminentissimo Principi

ANNIBALI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
ALBANO
CAMERARIO

Paulinus a S. Iosepho, Scholarum Piarum.

DELIBERANDVM diu mihi non fuit, cui praecipue hoc Orationum volumen inscriberem, ANNIBAL, Cardinalis amplissime. Humanitas illa singularis, qua olim ex his vnam, nomini tuo nuncupatam, exceperas, satis mihi certum dederat beneuolentissimae voluntatis tuae testimonium. Nec dubitare poteram, te optimis artibus patrocinio vnquam defuturum, quas a pueritia comites, et in omni fortunae gradu dignitatis tuae administras, habuisti. Videbam praeterea, te CLEMENTIS XI. Pont. Max. immortalis memoriae Principis, patrui tui, gloriam studiosius aemulari: et ad illum non modo Ecclesiasticae vitae integritate, doctrinae studio, clementia, benignitate ceterisque virtutibus in diem propius accedere, sed etiam in promouendis literarum studiis eius vestigiis diligenter insistere. Qua de re vt plurima et illustria dederis argumenta, illud tamen praecipua laude dignissimum puto, quod, summo splendore ac regio prope sumptu, typis diuulgari curaueris elegantissimas eius epistolas, quas Breuia dicunt: tum etiam Consistoriales Orationes et Homilias, quae et veteris eloquentiae maiestatem, et perfectioris vitae doctrinam et instituta, continent. Quamobrem tibi debet plurimum perpetuoque debebit literaria Respublica: cum id munificentia tua ad omnem literatorum posteritatem traduxerit, quod aetatis nostrae singulare fue-



rat beneficium. Quocirca amantiſſimo patruo maiorem gratiam referre non poteras: nec, quae ſempiternae illius memoriae nunc excitanda curas, in Baſilica Diui Petri, ſplendidiſſimi mauſolei ſaxa, diuturniorem ei famam tribuent: quandoquidem ſunt quoque, vt Satyricus inquit, ſua fata ſepulchris. Nulla autem aetas, nulla temporum oblinio, clariſſima obruet eius ingenii monumenta, nec vetuſtas vlla literatiſſimi Principis memoriam conficiet. Quid vero dicam de iis, quae Vrbini, perueteri literatorum hominum municipio, ad bonarum artium decus magnifice ac liberaliter a te fieri, accepimus? Haud ſatis tibi fuerat, perficiendis Collegii ſcholis opem contuliſſe liberaliſſimam, vt, quae patrui tui beneficentiae incoeptum, tibi vni deberent praeclari operis complementum. Vetuſtiſſimae quoque voluiſti Academiae dignitati conſulere; et, quemadmodum artes omnes, vt M. Tullius ait, ſocietate quadam inter ſe continentur: ita peramplo vnius loci ambitu ſingula earum ſtudia coniungere tibi placuit. Proinde magnificentioribus aedibus, a fundamento excitatis, Gymnaſium publicum cum Collegio Scholarum Piarum ita connexum atque contiguum effeciſti, vt plura in vnum Collegia quaſi coaleſcant, et vnum ampliſſimae Academiae corpus conſtituant. Nec ſane minus de literis es optime meritus, ob typographiae artem, in eadem Vrbe, ad veterem ſplendorem, reſtitutam, cuius nitoris et elegantiae quaſi praeguſtatio ſunt, Rituale Romanum, Pontificale maioris Hebdomadae, et alia, iam edita, rei ſacrae deſtinata, volumina. Quae quidem typorum praeſtantia quanto optimis ſtudiis futura ſit vſui, tum etiam quanto tuae bono ac ſplendori patriae, cui benefaciendi finem nullum facis, nemo non videt. Haec autem tua ad literas amplificandas ornandasque maxime propenſa voluntas omnem mihi dubitandi locum eripuit, quin Orationes has meas, quae fere omnes ad ſtudia literarum pertinent, benigne ſuſcipias, tuoque patrocinio tuearis: cum praeſertim in tuo, prope dicam, natae atque educatae ſint ſolo, in Romano ſcilicet Archigymnaſio, quod te, ſtudiorum ſuorum perpetuum vindicem ac patronum, veneratur et colit. Quod ſi hoc meae erga te obſeruantiae argumentum, ea, qua praeſtas, incredibili benignitate exceperis, certe me et collegas meos, ad tuas praeclaras virtutes celebrandas, magis magisque excitabis.

AD



AD
LECTOREM.

PRODIERANT *iam in lucem aliquot ex his Orationibus, partim summis Romanis Pontificibus, partim Eminentissimis Cardinalibus, singulae singulis, inscriptae. Erga quos eadem vt perpetuo maneant officia, visum est aequum, epistolas quoque ipsis praefigere, cum quibus primo editae fuerant. De illis vero, quae in parentalibus Leoni X. habitae sunt, id praemoneo, quotannis idem argumentum, apud nos vulgatissimum, pertractari; proinde, vt quid noui videatur afferri, illud esse aliqua nouitatis specie conuestiendum. Ceterum, si cui orationes eiusmodi, aut reliquae minus probentur, is, per me licet, ne legat.*

ADOLPHUS A S. GEORGIO

Cler. Regul. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

PRAEPOSITVS GENERALIS.

Cum librum, cui titulus: Orationes habitae in Archigymnasio Romanae Sapientiae a P. Paulino a S. Iosepho, nostrae Religionis Sacerdote Professo, et in eodem Archigymnasio publico Eloquentiae Professore, compositum, duo ex nostris, quibus commissum fuit, recognouerint et approbauerint, vt typis mandetur, si iis, ad quos spectat, videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem etc. Datum Romae, in aedibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem, die 22. Aprilis, 1727.

Adolphus a S. Georgio, Praepositus Generalis.

(L.S.)

Antonius a S. Michaele, Secret.

Reg. fol. 231.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reuerendissimo Patri, Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius, Episcopus Boianen. Vicesgerens.

APPROBATIO.

ORATIONES, quas P. Paulinus a S. Iosepho, publicus Eloquentiae Professor, habuit in Archigymnasio Romano, Reuerendissimi P. F. Gregorii Selleri, Sacri Apostolici Palatii Magistri, iussu, legi et lectas probaui, cum in iis nihil animaduerterim, quod vel Orthodoxae Religionis placitis aduersetur, vel, quod probatis moribus minus consentaneum videatur. Illas praeterea, quae in lucem edantur, dignas iudico; quod, qui non fucatam, sed sinceram eloquentiam amant et consectantur, ex iis, habent, quae cum laude imitentur, et discant, qua ratione artem Oratoriam laudabilius excolant, vt Oratio naturali exurgat pulchritudine, nulloque tnmore foedata, vel nugis pueriliter exculta, dignam laudem mereatur. Mecum eadem plane sensuros, arbitror, omnes, quos non lateat, quae recte conscribendae Orationis laudanda ratio merito commendetur.

Ita censeo ego F. Thomas Maria Minorelli, Ord. Praed. Sac. Theol. Mag. Bibliothecarius Casanatensis e Coenobio Mineruitano, IV. *Kal. Aprilis*, MDCCXXVII.

IMPRIMATVR.

Fr. Gregorius Selleri, Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.



DE

DE NEGLECTV LITERARVM HVMANIORVM ET EARVM CORRVPTELA

ORATIO I.

HABITA VI. NONAS MAII AN. MDCCXIII.

Amplis



Amplissimo et Clarissimo Iuueni

D. ALEXANDRO ALBANO

Summi Pontificis

CLEMENTIS XI.

FRATRIS FILIO

EQVITI HIEROSOLYMITANO

Et Magno Prioratus Armeniae Baiuliuo.

PAVLINVS A S. IOSEPHO

SCHOLARVM PIARVM.

Quae nuper, te audiente, in almo Vrbis Archigymnasio de Humanioribus literis publice disserui; ea sunt omnino, quae saepe et grauiter, pro iniuncti officii ratione, tibi diligenter prae oculis habenda esse monueram. Ex quo enim contigit, ad haec mitioris literaturae studia me tibi ducem praeberi; duo fuere praesertim, quae in animo penitus tuo, qua ratione, qua exemplis desigere magnopere studui: nimirum literarum censum citra sudorem parari non posse, neque optimas disciplinas consueuisse oscitantibus in ora delabi; sed imitandam nobis esse pertinacem indomitamque Maiorum industriam, quorum eruditionem aemulamur et gloriam: deinde, minime sperandum esse in Humanioribus literis feliciter progredi, nisi discendi labor cum optima studiorum ratione coniungeretur. Ad quam licet primo pertinere videatur tum docendi methodus, quae ex Quinctiliano neque operosa, neque fusis praeceptionibus constans esse debet, sed breuis et simplex; tum solida praeceptoris doctrina, longoque vsu subacta; tamen nihil est, quod literario progressui plus conferat, quam veterum ac politiorum auctorum lectio accurata et diuturna; Quemadmodum nihil perniciosius magisque cauendum, quam librorum prauae corruptaeque latinitatis frequentior vsus et familiaritas. Quae quidem omnia cum tibi aliisque studiosis adolescentibus serio ac frequenter progressu non poenitendo ingessissem: idcirco demandata mihi nuper, ex singulari Summi Pontificis, CLEMENTIS XI. *Patrui tui, benefi-*

beneficentia, tuaque potissimum opera, Eloquentiae prouincia in Romano Lyceo, argumentum hoc ipso vtilius, quo publicis lectionibus praeluderem, se mihi vsquam non obtulit, quodque magis ad rem commode caderet. Illud vero, quam pronis auribus quantaque animi voluptate, exciperent, quotquot aderant, primae eruditionis et dignitatis Viri, tu ipse testis, imo et praeco humanissimus. Hoc itaque mihi certe fuerat satis, quin et supra vota; non tamen tibi, qui vt quamprimum oratio ipsa publici iuris fieret, etiam atque etiam efflagitasti. In qua quidem re humanitati tuae diutius mihi reluctandum non fuit, quod sperem eidem orationi maximum pondus accessurum esse ac nomen; si tu studio, industria optimorumque librorum consuetudine atque vsu, auspicato compleueris, quam sustines non vulgarem literariam expectationem. De quo cum spem mihi certiorem praebeant non modo egregia indoles tua, et supra aetatem iudicii maturitas, cum insigni morum grauitate coniuncta; sed etiam singularis illa animi propensio tam erga literas, quam literatos, quos vehementer amas, libentissime excipis, eosque fouendos esse et palam dictitas, et, qua potes, impense curas, votis tuis vltro, ac libens obtempero; orationemque publico iudicio committo, tuo tamen nomini inscriptam; vt te ingenuae et castae latinitatis non tam candidatum, quam patronum et vindicem literaria Respublica futurum intelligat, et mecum officiosa animi gratulatione veneretur.

Neminem vestrum ignorare arbitror, eam semper fuisse consuetudinem, vt, quamprimum quispiam ad hanc amplissimam eloquentiae sedem accederet, solenni quadam indicta concione, quicquid virium, aut artis in dicendo sibi comparasset, eo potissimum conferret, vt in humanioribus literis et eloquentia vtilitatem maximam cum dignitate coniunctam esse contenderet. Quae quidem consuetudo licet mihi reprehendenda minime videatur, ab huiusmodi tamen instituti ratione, et ipsamet argumenti magnitudo, et summa auditorum dignitas, necessario me reuocat, alioque abducit. Quid enim est, quod ad optimarum artium ornamentum tam ingeniose excogitari, aut diserte dici possit, quod longe infra earum amplitudinem non iaceat, vel ab eloquentissimis viris iampridem occupatum, splendideque ex hoc ipso loco pertractatum non fuerit, aut etiam multiplici vestrae eruditioni obscurum esse censeatur? Nemo profecto, nemo vestrum, aut eorum, qui adsunt, ignorat, quantum splendoris et gloriae, quantum praesidii ac virium rebus cum priuatis tum publicis conferat literarum studium et eloquentia. Omnes probe intelligunt, ab illis veluti e fonte promanare, non modo in ciues et Rempublicam, verum etiam (quod certe momenti maioris est ac ponderis) in Religionem ipsam tot tantaque praesentissima commoda, vt de iisdem afferendum esse putauerim, quod praeclare Tullius de amicitia, (*) quod nempe si quis eas de medio tolleret, solem e caelo sustulisse videretur. Quocirca ne actum agere videar, aut crambem recoctam, vt aiunt, proponere; nihil de literarum dignitate, aut praestantia, nihil de necessitate eloquentiae, vel vsu in medium proferam: sed illud tantum totis industriae viribus contendam inquirere, quid potissimum caussae sit, quod hac nostra tempestate, in tanta scilicet ceterarum omnium artium gloria scientiarumque incremento,

(*) *Laelius de amicitia c.* 13.

to, humaniores literae potius in dies collabi, et ad interitum vergere videantur; cum iam fere reperiatur nemo, qui nedum vberiori illa eruditionis facultate, qua maiores nostros tantopere inclaruisse miramur, quodammodo sit ornatus; sed neque latini sermonis castitatem et elegantiam sibi omnino tribuere audeat Arduum fortasse fuerit ac periculosae plenum aleae argumentum; vobis tamen, Patres Amplissimi, et iis omnibus, qui humaniores literas studio, aut amore aliquo prosequuntur, vt puto, optandum maxime; ingenuis vero adolescentibus, qui literarum earundem studiis initiati sunt, opportunum illud omnino fore confido.

Mirari plerique solent, quonam improbo literarum fato contigerit, quod, tametsi hoc aeuo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora sint, imo saepe et in multis praestantiora esse videantur; nemo tamen existat, qui cum sapientissimis illis literarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in grauioribus magisque arduis disciplinis solertiam veterum ingeniumque aetas nostra non aequauit modo, verum etiam longe lateque superauit? Recentiorem percurrite Philosophiam: quot doctrinae solidioris in ea progressus! quot nouae hypotheses, limatiori iudicio elaboratae, validoque rationis et experientiae praesidio communitae! quot naturae reconditioris arcana, quorum caussae omnium opinione difficillimae, imo humano ingenio prorsus imperuiae esse censebantur, instituta recens philosophandi ratio acute penetrauit, clarissimeque detexit! Mathematicis vero disciplinis quantum splendoris atque amplitudinis ex singulis fere aetatibus, praesertim vero superiori saeculo accessit? Profecto nulli veterum innotuerat Logarithmorum genesis, neque Algebrae speciosae methodus, neque fluida Caelorum natura, aut incorporea Saturni maiestas, ac sexcenta alia rerum pulcherrimarum inuenta, quibus aetas nostra se merito sapientiorem esse gloriatur. Praeterea iuniorum solertia cum rem medicam progressu non poenitendo ampliauerit; cumque rei militaris scientia complures, memoria nostra, inclaruerint duces, qui veterum gloriam fortitudine, consilio rebusque gestis facile superarunt; qua ratione contigerit, esse neminem, qui literarum fama et eruditionis laude antiquitati palmam praeripere audeat; sed satis sibi gloriae ducat, si multo sudore multisque vigiliis eo tandem peruenerit, vt ab antiquorum praestantia non longissime abesse videatur? Adeone deterior literarum conditio, vt in tanta ingeniorum vbertate ceterarumque scientiarum progressu, illae propemodum destitutae iaceant, ac ne passum quidem progrediantur? Ego saue fatalem huiusmodi literarum calamitatem duplici caussae potissimum tribuendam esse iudico; & quod studio industriaeque maiorum longe impares sumus, et quod longissime ab optima studiorum ratione recessimus. Cui duplici literarum infortunio, vt tempestiue, si fieri possit, occurratur; constitui, hodierno die vtrumque oratione persequi, et vtrumque ea, qua potero, studiosae iuuentuti praecauere.

Et quidem ad ea semper maiori animorum contentione incitamur, quae pluris facimus, impensiusque aestimamus. Pulcherrimas res atque optimas nullo frequenter studio prosequimur, non quod illae reuera negligi dignae sint, sed quod nobis negligendae esse videantur. Neque enim tantum ab ipsa rerum pulchritudine ac dignitate, quantum ab earum opinione atque aestimatione mouemur. Quamobrem cum literas Maiores

res nostri in eo pretio ac dignitate semper habuerint, vt in ipsis maximum vitae ornamentum, ac summum Reipublicae bonnm situm esse putarent, mirandum non est, easdem tam singulari amore ardentique studio complecterentur. Vehementius illi plane literariae dignitatis famam deperibant, quam ambitiosissimus quisque fasces, consulatus, imperium: parandaeque sibi eruditioni acrius insudabant, quam auari homines pecuniae fortunisque augendis. Postremo magis illi de literis, quam nos de aris, focisque tutandis, soliciti. Ex quo ingenti erga literas studio fieri solebat, vt omnibus aliis abdicatis ex animo curis, in hanc vnam incumberent, et in hanc velnti metam totos industriae neruos intenderent. Quocirca incredibile nemini videatur, eos tantopere literarum amore succensos, ceteris sibi voluptatibus interdixisse, rei familiaris curam abiecisse, somno, cibo potnque frequentius abstinuisse, quo celerius ad earum gloriam assurgerent. Vulgare est ac tritum, summum illum dicendi magistrum, Demosthenem, quo nemo vnquam laboriosius, nemo per plura naturae obstacula eloquentiae verticem adiit, plus olei consumsisse, quam vini, omnesque artifices antelucana industria superasse. Non ignorabant siquidem viri prudentissimi, labore minime vulgari venalia esse eruditionis ac literarum praemia. Non ignorabant, ad literarum studia aeque illud pertinere, quod de Philosopia omnium ore percrebuit, postulari videlicet totum hominem. Hinc Cicero, homo plane ad eloquentiam et eruditionem factus, cum diligentius caussam requireret, cur in tantis eloquentiae praemiis tantaque gloria, pauci tamen reperirentur, qui in eius laude proficerent, opportune docuit, hanc esse praecipuam, quod ea studiorum genera omnem sibi animum omnemque solicitudinem vindicarent. Omittendae sunt, inquit, * omnes volnptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam paene omnium familiarium deserendus.

Quae quidem ne cui ad amplificandam literarum famam magnifice enunciata esse videantur; cogitate mecum, Auditores, quot quantaque caelo, terra marique occurrant, quorum cognitio non leuis ac perfunctoria, sed plena ac bene subacta ad eos necessario pertinet, qui in eiusmodi disciplinis laudem aliquam assequi meditantur. Quanta enim fabularum eruditio! Quanta Poetarum, aut carminum varietas! Quanta historiarum rerumque ab orbe condito gestarum series! Haud parum certe negotii facessit tot auctorum plenam solidamque cognitionem consequi, et tam multiplex dicendi genus probe accurateque dignoscere posse, ac distinguere. Alii siquidem in dicendo robusti ac neruosi: alii molliores et magis ad elegantiam proni. Hic festiuitatis et leporis plenus; acrius ille probat, vrgetque efficacius. In hoc phrasis tersa, facilis, non affectata, maximam spirans suauitatem. Sublimior in alio, succo plenior, totaque ad grauitatem plane senatoriam composita. Praeterea cum omnes artes, vt ait praeclare Tullius, quae ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineantur; dubitari minime potest, quin nulla sit scientia, aut ars liberalis, cuius cognitione aliqua tinctus esse non oporteat, qui ad literarum et eruditionis gloriam contendit. Si quis enim Dialecticam, Mathematicam, Ethicam, Politicam, aliasque Philosophiae partes, ne longe quidem

(*) *Orat. pro M. Coelio c. 19.*

dem a vestibulo salutauerit, non modo de tot tantisque rebus, quarum notitia ab iis fontibus haurienda est, neque vnum verbum facere audebit, sed neque plene intelligere poterit poetas ipsos, oratores, aut historicos in eo disciplinarum genere praeclarissimos. Quis enim Plinium, Plutarchum, Quinctilianum, aut Virgilium ipsum tam multa de Physica, multa de Geographia, ac de Astronomia multa subtiliter solideque pertractantes intelligat, qui nondum primas earundem scientiarum lineas duxerit? Necesse erit profecto in euoluendis huiusmodi libris, tanquam ad scopulos passim haereat, vel saltem ita balbutiat, ac si sphingem aliquam offendisset, aut monstra immania enuncianda essent.

Quae quidem omnia cum sudorem industriamque exigant, et maximam et diuturnam, mirandum non est, veteres tam assiduo ac pertinaci labore in literario puluere desudasse. Intelligebant illi, plane nullam sapientiae viam esse imperuiam, si conatus accessisset ac labor, qui improbitate sua omnia vincit. Intelligebant in arduo montis domicilium habere musas; verum eo quoque industria volari posse, si aliter perueniri non possit. Cum itaque experientia didicissent magistra id, quod Graecus ille Metrocles sapienter dictitabat, nimirum res alias omnes emi posse pecunia, literas vero tempore; nihil erat omnino, quod tam accurate ac tam religiose seruandum esse putarent, quam tempus. Hinc vel exiguam diei particulam per otium desidiamque traducere, impendium omnium grauissimum censebatur. Ac proinde ne momentum sibi otiose vnquam efflueret, quod potui, quod cibo, quod itineri tribui necesse erat, cum aliquo eruditionis studio coniunctum esse volebant. Quandoquidem ex Plutarcho accepimus, eam fuisse maiorum consuetudinem, vt dum lectica iter agerent, aut recitantem aliquem audirent, aut nonnulla sibi ex lectione annotarent, aut etiam non raro aliis dictando, non tam tempus, vt poetae loquuntur, fallerent, quam traducerent fructuosissime. Hinc memoria proditum est, illum promum condum vniuersae eruditionis, quem nulla vnquam silebit posteritas, C. Plinium seuere rigideque nepotem suum obiurgasse, quod illum, omissa lectica, vidisset deambulantem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Tanti scilicet putabant studiosissimi viri, vel minimi temporis habere rationem; illud totum periisse rati, ex quo sibi aliquis sapientiae prouentus non accessisset.

At nos, (pudet me, magnopere pudet, proiectam temporum nostrorum ignauiam cum indomita maiorum diligentia conferre) nos, inquam, quibus, vt Seneca dolebat vehementer, tempore nihil est vilius, illud partim tuendae accuratius, quam par est, valetudini, partim somno, partim conuiuiis, partim etiam mulieicularum more, calamistris et speculo effundimus liberalissime. Ac deinde quod aulae officiis, quod voluptatibus, quod ludis, quod auaritiae, aut ambitioni superest tempus in literis et eruditione reponimus. Non est ergo, cur miremur, maioribus nostris tanto inferiores nos esse doctrina, qui tantopere infra ipsos sumus laborandi studio. Merito ab eorum gloria tam longe aberramus, quorum non imitamur industriam: quam reuera imitandam sibi vnusquisque proponeret, si quod erga literas studium in nobis reliquum superesset. Sed relanguit iampridem, relanguit in plerisque hominum amor erga optimas disciplinas. Restinctus est omnino vetus ille ad honestas artes ardor animorum atque contentio. Inueterauit enim iam opinio quaedam, non modo literis humanioribus perniciosa, verum etiam scientiarum

tiarum omnium ordini maxime periculosa, in hoc studiorum genere nihil gloriae, nihil diuitiarum esse sperandum. Ac proinde non sine grauissimo animi dolore, quotidie videmus adolescentes egregia indole, ingenioque praestantes, vix delibatis Grammaticae rudimentis, vix rudioribus subauditis ex Dialectica vocibus, statim coeco quodam impetu ad Hippocratis aphorismos, vel ad Iustiniani codicem properare; illic tantum gloriae, illic diuitiarum certissimam spem propositam esse dictitantes. O praeclara sciolorum consilia! O praeposteram aetatis nostrae sapientiam! Itane pessime rebus suis consultum esse voluerunt Bembi, Sadoleti, Cortesii, Antoniani, qui omnes in Senatum Apostolicum cooptati fuere, aliique paene innumeri, strenui literarum cultores, vt aetatem omnem per summum laborem in iis studiis eontererent, ex quibus nulla sibi vtilitas, nulla amplitudo, aut dignitas oriretur? Sed omittamus infantissimos istos literarum aestimatores, quorum audaciam in iudicii seueritatem vocare, neque locus, neque temporis angustia permittit. Contemnant modo, quae citra infamiam ignorare non possunt. Deserant musarum castra, si placet; exeant, proficiscantur. Etenim non desunt nobis in hac Vrbe, veteri optimarum artium domicilio, ex tota Italia, imo ex tota fere Europa adolescentes optimi, qui cum praestantia ingenii animorum ardore coniuncto, sapientiam impensissime amant, et in deliciis et amoribus habent honestissimas disciplinas. Non desunt, neque deerunt vnquam viri clarissimi, de literaria Republica optime meriti, qui literas per omnem aetatis gradum ita coluere, et colunt, vt ad eas sustentandas atque ornandas omnino nati esse videantur.

Quid tamen est, quod in tanta scholarum frequentia, in tanta ingeniorum vi studiorumque contentione, vix tamen vnus, aut alter hodie reperiatur, qui ea latini sermonis integritate atque elegantia valeat, quae olim duobus circiter ab hinc saeculis, post restitutas scilicet a summorum Pontificum, et a Mediceae Familiae munificentia literas, tantopere in hac Vrbe, imo per Italiam omnem effloruit? Tunc enim Angelus Politianus, tunc Hermolaus Barbarus, tunc Ianus Parrhasius, Philippus Beroaldus, Romulus Amasaeus, Paulus Iouius, aliique sexcenti floruerunt, qui latino sermone adeo perpoliti limatique fuere, vt ad Ciceronem ipsum, Caesarem, Liuium, Cornelium Nepotem ceterosque Romanae linguae scriptores castigatissimos, munditia styli et elegantia visi fuerint perquam proxime accessisse. Nunc vero, qui hanc laudem optimo sibi iure omnino tribuere possit, vix aliquem esse nouimus. Quae quidem luctuosa calamitas cuinam fato praecipue sit tribuenda, non vna est eademque omnium opinio. Contendunt nonnulli, principem caussam esse methodum, docendique rationem, qua hodie in Grammaticae scholis homines nostri vtuntur: cum illa adeo perturbata, adeo obscura, et inanium praeceptorum tricis vndique implexa esse videatur, vt iam miseri adolescentes diutius Grammaticae ambagibus, quam olim labyrintho Cretensi Theseus, immorari cogantur; ideoque meliores aetatis annos non in ipsa Romanae linguae vi ac puriori stylo, sed in negotiosa canonum minutissimorum congerie, appendicibus, scholiis, obseruationibus traducant: quarum diuturno et importuno tinnitu haud raro adolescentium aures et ingenia ita lassantur, vt ad ceteras disciplinas malint crudi adhuc et elingues festinare, quam in ipsis grammaticorum subselliis turpiter consenescere. Alii vero, emunctioris fortasse naris, caussam omnem huiusce damni esse dictitant, magistrorum optimorum

timorum inopiam: nimirum hoc aeuo scholarum quidem maximam esse frequentiam, magistros vero perquam paucissimos. Vulgarem iam esse consuetudinem, Grammaticae institutiones literasque humaniores ab iis doceri, qui aliis ipsi magistris reuera indigerent; atque artes illas, quas olim in scholis tradere consueuerant senes primae auctoritatis profundaeque eruditionis, qui exemplo suo adolescentulos ad honestarum artium studia cohortari et quodammodo incitare videbantur, ab imperitis modo hominibus ac nouis pertractari, qui ad Orbilii ferulam non semel essent remittendi.

Quas quidem caussas quanquam ego et perspicuas et grauissimas esse non dubitem; adhuc tamen grauiorem aliam in medium afferre statui, ex qua supremum latini sermonis exitium ac pestem proficisci, haud obscure intelligetis. Ad deturpandam enim latinae linguae castitatem nihil magis valere contendo, quam corruptae deprauataeque latinitatis libros frequenter euoluere. Horum profecto familiaritate, horum commercio, vt in sole ambulantibus euenire solet, latina oratio paulatim immutari consueuit, ac decolorari. Hinc tam multos naeuos, hinc tot maculas ac sermonis vitia contraximus. Cum enim omnis loquendi facultas necessario a nobis accipienda sit tum ex vocibus, tum ex ea dicendi forma, quam vel auribus, vel lectione percipimus; si legendi studio corruptas voces dicendique barbariem contraxeris, sermonem quoque impolitum ac semibarbarum conflari necesse erit. Quid vero defaecatum ac purum ex lutulentis quorundam scriptorum libris haurire possis, in quibus praeter latina aliquot vocabula, vel obsoleta et ab Euandri saeculo repetita, vel recens in Latium temere immissa, nihil est omnino, quod Latium ipsum redolere videatur? Et tamen tam multi hac nostra tempestate eo deuenerunt amentiae, vt optimis quibusque auctoribus valere iussis, semilatinos istos recentiores, fuco plenos, nullius succi ac sanguinis, in deliciis et amoribus habeant, libentius peruolutent, iisque solenne dicant sacramentum. Qua quidem re latino sermoni fatum perniciosius esse non video; praesertim vero si adolescentes, quorum mentibus mollioribus, quicquid ex lectione percipiunt, haerere solet tenacius, eo librorum lenocinio oblectari, atque iis diutius immorari consuescant. Quod enim in illis neque dictionis Tullianae robur, neque Caesaris, aut Liuii perpolitam elocutionem, neque sententiarum vim, leporem et elegantiam, quae passim in Planto, Terentio, Sallustio aliisque compluribus nitidissimae latinitatis parentibus, minime reperirent, et propterea in iisdem euoluendis oleum reuera et operam perderent; dolendum quidem esset vehementer, sed tamen aliqua ratione ferendum. At vero cum ex ea lectione, aut breuitatem hauriant sibyllinis foliis obscuriorem, aut ventosum ampullatumque dicendi genus, quod caelum ipsum audacia petit; cum tumultuariam ineptarum vocum congeriem et desultoriam vbique orationem offendant; qua ratione fieri potest, per Deum immortalem, vt tam pestiferam labem minime contrahant, neque in tam proiecta latinae linguae corruptela periclitentur? Hinc profecto, hinc oritur affectata illa dicendi breuitas nostrorum hominum, quae in antithetis frigidisque argutiolis tota est: hinc languida illa omnino et elumbis oratio, quae plus aequo sententiosa videri amat: hinc comptula et fuco pigmentisque ad nauseam vsque colorata eloquentiae facies: hinc denique stylus, in plerisque tam barbarus, inconditus et exoticus, vt non tam Romanam, quam Italicam dictionem foedissime oleat.

At fatalis huiusmodi librorum pestis ex eo mihi perniciosior esse videtur, quod homines eorum studio perinde ac Circaeo poculo imbuti, a saniori iudicio tam longe abeant, vt limatissimos quosque scriptores paruipendant, ac purissimae latinitatis succum omnino fastidiant. Quapropter ab ipsis Romanae eloquentiae princeps M. Tullius nimis verbosus nimiaeque loquentiae reprehenditur: imus ac pedester Virgilius: Florus siccus ac ieiunus; asper multisque in locis censoria virgula notandus Quinctilianus. In qua quidem iudicandi ratione, aut mentis omnino impotes, aut iis aegris simillimi esse videntur, quibus sapore, ex aegritudine corrupto, optimus quisque cibus fastidio solet esse ac stomacho. Desipit nimirum insanis fucosae latinitatis amatoribus natiua et inaffectata latinae linguae simplicitas. Desipit aequabile dicendi genus, grauitatem spirans et elegantiam. Desipit demum, quicquid ampullis et sermonis granditate non resonat. Ac proinde Choerilos suos et Codros semper manu et ore fouent, iis impensissime oblectantur; qua possunt, laudibus efferunt, et vbique praedicant. Quin etiam, si quid virium ad scribendum, aut dicendum habeant, teterrimam illam sermonis corruptelam tam studiose minuteque affectant, vt nisi iisdem magistris suis amentiores, eorundem tamen amentiam haud parum feliciter aequasse videantur.

Quae cum ita sint, Auditores, quis vestrum satis superque non intelligit, supremum latino sermoni excidium ex deprauatae latinitatis lectione potissimum deriuari; eiusque furfuris libros tantopere perniciosos, vltra Sauromatas et glacialem Oceanum explodendos omnino esse, atque amandandos? Vtinam ipsi eadem poenarum seueritate ex literaria Republica proscriberentur, qua expungi exterminarique solent ex CatholicoOrbe nequissima Nouatorum volumina! Vtinam iidem tam obuio ac facili publicae lucis aditu intercluderentur! Nisi enim huic malo tandem tempestiue occurratur, labentibus in diem et ad interitum vergentibus literis, si qua adhuc ex latina lingua superest vmbra, breui ex hac Vrbe prorsus totaque Italia euanescet.

Opem itaque vestram, Adolescentes optimi, implorat imminens literarum calamitas et vltimum Romanae linguae discrimen. Vos veteris earundem gloriae vindices assertoresque ereptae dignitatis estote. Vestrum sit, studio ac labore efficere, vt exoticarum dictionum pulsa barbarie, suus Romanae linguae splendor et politioribus disciplinis dignitas restituatur. Quod quidem nullo negotio perficietis, si ineptissimis reiectis libris, industriam omnem studiumque in euoluendis antiquis incorruptaeque latinitatis auctoribus conferatis. Hos diligenter ac saepissime legite: hos perpetuo manibus atque oculis peruolutate, et ad verbum, si fieri possit, ediscite. In horum vim, grauitatem et aculeos intueri, maxime fructuosum. Horum sedula imitatione stylum elimatum, elegantiae plenum atque omnino latinum breui comparabitis. In quo quidem imitandum vobis ob oculos ponite praeclarissimum Vrbis et Orbis exemplum, Pontificem Maximum, Clementem XI. cuius summa latiui sermonis integritas et eloquentia plane Romana non alios certe redolet fontes, nisi veteres ac politissimos Romanae linguae scriptores. Ex diuturna horum lectione maturaque imitatione conciliauit sibi sapientissimus Princeps venustum illud, graue ac sententiosum dicendi genus, quod in eo et nos tantopere demiramur, et quamdiu eloquentiae honestisque artibus honor erit ac nomen, posteritas omnis

omnis immortalitati commendabit. Ego vero pro hoc publico eloquentiae munere, quod mihi nuper ex singulari sua erga me beneficentia idem sanctissimus Pater demandauit, nonnisi purissimum quemque latini sermonis auctorem publicis lectionibus interpretandum suscipiam; et, quantum in me erit, operam dabo, vt ingenui Adolescentes, qui huc literarum humaniorum studio conueniunt, ex assidua veterum optimorum librorum familiaritate atque vsu latini sermonis integritatem ament, eamque sedulo imitari studeant; vt quantum fieri potest, veteri splendori Romana lingua restituatur.

DE

PATROCINIO

BONARVM ARTIVM

ORATIO II.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS

AN. MDCCXIII.

Eminentissimo Principi

ANNIBALI

S. R. E. Diacono Cardinali

ALBANO

Summi Pontificis

CLEMENTIS XI.

FRATRIS FILIO

PAVLINVS A S. IOSEPHO

SCHOLARVM PIARVM.

Cogitanti mihi, PRINCEPS EMINENTISSIME, *cuius sisterem patrocinio hanc, non tam orationem meam, quam caussam bonarum artium honestissimam, occurrit statim Romanus Pontifex, patruus tuus; cui cum multis aliis nominibus, tum illo*

illo potissimum a me debebatur, quod cum ipse per omnem aetatem tam literatorum, quam literarum et fuerit, et sit amantissimus Pater, idcirco huiusmodi argumento vim auctoritatemque maximam conciliasset. Sed quidam non inanis timor consilium vicit ac votum meum. Timui, ne ingratus illi ac molestus fierem, dum maxime gratus et officiosus esse contenderem. Cum enim de studiosis bonarum artium patronis tota res esset, ac nemini non esset exploratissimum, omnem illius vitam, fortunas ac dignitatem cum earundem bonarum artium studio ac tutela fuisse coniunctissimam, haud potui, citra quandam communis existimationis labem, de eodem in hac re omnino silere: quod tamen, pro singulari sua inuictaque modestia, iniucundum illi ac permolestum fore, certe scio. Nam ipse, vt de M. Catone ait Sallustius, cum bonus esse malit, quam videri, laudes omnes auersatur suas, iisque omnem, qua potest, aditum intercludit. Verum cum diu cognitum mihi perspectumque esset, liberalium artium patrocinium ad Albanam domum auito quodam et haereditario iure pertinere, non tam difficile fore duxi, alium quemquam ex ipsa domo humanissimum studiorum fautorem reperire, quam quis prae ceteris seligendus esset, statuere. Quandoquidem omnes, quotquot in ea sunt, viros doctos et eruditos complecti ac fouere impensissime solent, et, vt de L. Lucullo legimus, literatorum familiaritate magnopere delectantur. At quamobrem te aliis omnibus ex tam praeclara familia praeferendum esse non putarem, Cardinalis amplissime, qui vt dignitate atque auctoritate, sic literis et sapientia longe ceteris antecellis? Te itaque vnum oratio haec mea, seu potius optimae artes, quarum caussa instituta est, te, inquam, vnum implorant; tuoque faustissimo nomine ornari cupiunt ac propugnari. Et sane earum caussam deserere non potes, nisi velis et tuam deserere; eas quippe omnes ita in te vno complecteris, vt cum ipsarum fortuna, qualiscunque illa sit, necessario tibi coniunctio quaedam ac societas intercedere videatur. Imo nisi id, quod reuera est, dissimulare velis, splendidissimam illam, qua refulges, Purpurae dignitatem disciplinarum earundem beneficio praecipue referre debes acceptam: cum nemini obscurum sit, eam fuisse tibi propositam, non, vt alias, ex Pontificis amore, aut ipsius meritis impertiendam, sed tuis. Quibus vero, nisi optimarum artium praesidio instructus, illam tibi iudicii maturitatem et in rebus gerendis industriam comparasses, qua in leuamen laborum ac Pontificiae solicitudinis partem opportune venire posses, atque in Ecclesia et in Euangelio laborare cum Clemente? Nemini ergo mirum esse videatur, si diem, in quo tibi tandem ex Orbis totius suffragiis summaque Vrbis laetitia, constitutus fuit amplissimus honor, singulari aliquo erga literas beneficio distinctum ac notatum maxime volueris. Cum enim tunc forte à transalpina Legatione Vrbini commorareris, accepto vix Purpurae delatae nuncio, confestim te annuo censu Abbatiae, quam Sanctae Mariae de Citria dicunt, ad annos aliquot abdicasti, vt eiusmodi liberalitatis subsidio ad nostrum Vrbinatense Collegium, paterna iam tum recens Clementis XI. beneficentia excitatum, ampliores scholarum sedes accederent. Qua quidem re illud aperte testatum esse voluisti, clarissimae dignitatis accessionem te liberalibus disciplinis acceptam maxime profiteri, ac tuae propterea voluntatis erga illas tam illustrem dedisse praerogatiuam. In quo id primo commendatione dignum esse putauerim, quod scilicet partem de annuo censu tibi detrahere eo ipso tempore non dubitaueris, quo intelligebas, ad illud te euectum esse fastigium, quod quo magis a priuati hominis fortuna recedit, eo grauiores in rem familiatem ac seruitium domesticum sumptus exigat necesse est. Eodem accedit, quod ea aetate hoc ipsum feceris, qua nihil est, quod luculentiori Ecclesiae patrimonio magis obstare posse videatur, quam ipsa cum Pontifice cognatio ac necessitudo.

Iam

Iam enim Ecclesiastica bona, quae ceteris quam latissime patent, iis, qui sanguine cum Pontifice coniuncti sunt, mediocritatis cuiusdam lege ac terminis definiuntur. Quamobrem haud vulgare amoris tui indicium erga literarum studia tum plane exhibuisti, cum amplificandis Vrbinatensis Collegii scholis aureorum aliquot millia liberalissime contulisti. Cuius quidem munificentiae memorem animum non modo optimae artes, Collegii illius incolae, perpetuo habiturae sunt, sed vniuersus quoque noster Scholarum Piarum Ordo huiusce liberalitatis memoriam tui nominis immortalitati commendabit. Ego interim, vt tibi pro his aliisque praeclaris erga nos meritis, eiusdem Ordinis totius nomine gratias agerem, exiguum hoc pertenuis ingenii mei munus offerre statui. Quod tamen si ea, qua praeditus es, humanitate exceperis, id mihi beneficii cuiusdam noui instar erit; quo illud etiam efficies, vt maius aliquando gratae erga te voluntatis meae proferam argumentum.

Si quis vestrum fortasse putet, Patres amplissimi, me hodierno die ad dicendum idcirco accessisse, vt intermissum iampridem ac diuturna cessatione torpentem bonarum artium amorem in adolescentium animis excitare, eosque ad studiorum cursum alacrius instaurandum cohortari atque inflammare contenderem, is certe fallitur, et ab instituti mei ratione longissime aberrat. Satis enim intelligo, quae ac quanta sit eorundem erga optimas disciplinas alacritas, quanta ingeniorum contentio ac doctrinae cupiditas; cuius adipiscendae studio partim patriam, qua nihil solet esse iucundius, partim fratres, aut parentes charissimos, partim ampla paternae domus commoda, omnes profecto vacuae dulcissimaeque vitae otium fortiter deponerunt. Quid igitur a me tam sapienter excogitari, aut, pro scientiarum amplitudine, tam diserte dici valeat, quod ipsos in anniuersaria hac studiorum instauratione ad huiusmodi laudem magis incitare possit, et calcaria, vt aiunt, sponte currentibus addere? Id mecum cum ipse diu reputarem, illud tandem sese obtulit animo, me nihil ad rem opportunius, quodque magis bonarum artium dignitatem augeret, posse suscipere, quam si perantiqua illa disciplinarum laudatione praetermissa, perniciosis quorundam hominum opinionibus occurrerem, quibus haud raro iuuenes ab incepto studiorum cursu deduci solent, aut saltem maxime retardari. Percrebuit enim non modo Romae, sed et apud exteras nationes, literatorum quorundam sermo, scientias hac nostra tempestate eam ob caussam nequaquam, vt olim, pristina dignitate ac gloria vigere, quod nunc veteres illi optimarum artium Maecenates minime reperiantur; ac proinde quod illae plerumque intra mediocritatem consistant, quod multis in locis aut misere iaceant, aut in dies collabi videantur; id neque senescenti earundem artium aetati, neque effoetis ingeniorum viribus, sed rei literariae fauentium paucitati omnino esse tribuendum. Quae quidem opinio cum non solum fautores ipsos literarum beneficentissimos, qui reuera nunc sunt, haud mediocri iniuria afficere, sed etiam in scientiarum existimationem infamiam quandam ac labem inducere videatur: rem totam diligentius examinare constitui, et quoquomodo oculis consilioque vestro subiicere; vt illud tandem de re grauissima iudicium feratis, quod contumelia propugnatoribus bonarum artium illata, quod ingenuis inusta disciplinis infamiae nota, quod denique sapientia vestra postulare videbitur. Illud itaque primo mature accurateque video mihi esse inquirendum, an reuera patrocinii penuriae

debeat

debeat aequo iure tribui vulgaris ea studiorum ratio doctrinaeque mldiocritas, quam in multis nostrorum hominum esse conspicimus; cum tamen ipsi ea ingenii facultate sint praediti, vt primum eruditionis locum sibi vindicare potuissent. Deinde omnes industriae vires eo conferam, vt planum faciam, vnumquemque literatorum posse, si velit, sibi studiisque suis amplam conciliare fortunam. Quod quidem argumentum cum sit hujusmodi, vt non modo ad amplificandam bonarum artium dignitatem accommodatum esse videatur, verum etiam commodum maximeque idoneum incitandis iuuenum animis praemiorum spe ad earundem bonarum artium studia diligentius repetenda: profecto dubitari non potest, quin et illud clarissimis istis disciplinarum magistris summopere probetur; tum etiam vobis futurum sit iucundissimum, amplissimi Patres, qui ad sustinendam Romani huiusce Archigymnasii existimationem et nos per omnia humanitatis officia prosequi consueuistis, et quantum in vobis est, in id enixe incumbitis, vt in dies bonarum artium splendor augeatur.

Acerba quidem ac permolesta semper fuit eorum querela, qui in Maecenatum paucitatem mediocritatem bonarum artium omnino reiiciunt. Quorum inueterata opinio ne videatur, quasi indicta caussa, a nobis velle damnari, eam vobis, quam breuissime potero, in hoc ipso orationis aditu exponam. Quot sunt, dictitant, hac nostra aetate praestantissimi ingenio viri, qui prope summum scientiarum verticem attigissent, si studiosum ac beneficum ducem hortatoremque sibi aequa obtulisset fortuna? Essent nimirum nostra quoque hac tempestate, qui cum ipso Romanae eloquentiae antesignano de doctrinae principatu dicendique facultate contenderent. Neque hodie deessent nobis, qui summis illis Poetarum magistris Terentio, Virgilio et Horatio diem indicerent, eosque quasi verbo Praetoris de veteri gloriae possessione deturbarent. Enim vero vbi nunc principes illi viri, bonarum artium firmamenta doctrinaeque praesidium, qui ad alendos sustentandosque literarum cultores ab ipsis propemodum Gratiarum manibus facti esse videbantur? Innumeris quidem clarissimis ac veluti primae magnitudinis luminibus literaria careret Respublica, nisi summo scientiarum bono superiores aetates patronos musarum munificentissimos attulissent. Nam neque Euripidem, aut Pindarum poetica, neque eloquentia Demosthenem, aut Socratem philosophia tantopere praedicaret, cum ii omnes tum propter infimum fortunae gradum, tum propter rei familiaris angustiam ad artem potius aliquam factitandam, quam ad literarum otium nati esse viderentur. Memoria quippe proditum est Euripidis matrem vitam vendendis oleribus tolerasse; et quemadmodum tibicinis filium fuisse Pindarum, ita Socratem ex tenuissima obstetrice procreatum accepimus. Quid vero de Demosthene, qui fabrili genere ortus in obscura ferramentorum officina a parentibus susceptus fuit atque educatus? Quamobrem quae diuinis adeo ingeniis otia studiorumque rationes pertennis fortunae paternae census denegauerat, iis cumulatissima ac plane regia donauit Maecenatum beneficentia. Etenim Macedoniae Rex, Archelaus Euripidem, Pindarum vero Hieron, Syracusanus, aluit summaque liberalitate complexus fuit; ac sicuti diuinum quoddam tutelae numen in praeclarissimo Graecorum Imperatore Alcibiade inuenit Socrates, ita singulos Reipublicae Atheniensis ciues Statorem quasi Iouem Demostheni fuisse non ignoramus.

Et quidem rei literariae hostem importunum, feralem acerbissimumque, domesticam egestatem esse non putet, qui minime videt, quot praeclara ingenia in dies conficiat exterminetque publicae, aut priuatae inopiae calamitas. Quis enim, cui res domi angustior sit, magnopere curet purioris latinitatis elegantias ex Plauto, vel Terentio seligere, aut Aequiponderantium leges cum Archimede, aut sectionum Conicarum acumina cum Apollonio contemplari, aut denique Democriti, seu Aristotelis opiniones inquirere? Acrior illi profecto inest solicitudo de minuenda rei familiaris difficultate, quam de excolenda augendaque eruditione; studiumque ponet vehementius in noua aliqua victus sibi comparandi ratione, quam in perscrutando ex antiquitatum ruderibus, quaenam fuerint Graecorum leges et instituta, quinam vetustissimi Vrbis huiusce ritus, mores atque consuetudines. Quotidiana siquidem ac permolesta alendae vitae cura, praeterquam quod meliorem diei partem de literaria contemplatione detrahit, illud etiam affert haud vulgaris incommodi, quod virum, honesto loco natum, ita commmouet ac perturbat, vt deinceps optimarum artium studio imparem se omnino sentiat minimeque idoneum. Quod quidem malo didicit suo officina illa leporum atque elegantiarum Ouidius, quem promptiori ad carmina ingenio, quam vnumquemque nostrum ad verba adeo fuisse legimus, vt vel eius ore musae, vel ipse musarum ore loqui putaretur. Is enim vbi primum amandatus in Pontum egestatem afflictaeque domus praesensit calamitatem, se statim non tam Diis penatibus, fortunis, coniuge liberisque destitutum, quam ingenio ac diuina illa mentis vbertate exhaustum confectumque ingemuit; cum ne meditatione quidem diuturnoque studio ea consequi posset, quae antea sponte sua ac propemodum ipso inuito effluere videbantur. Quod sane admirationi tantum iis esse poterit, qui non intelligant, eam esse studiorum naturam, vt animum sibi ab omni perturbatione vacuum maximeque tranquillum postulent. Neque alia de caussa crediderim veteres in edito monte musis domicilium posuisse, quam quo clarius significarent, supra omnem curarum aleam illos esse oportere, qui optimis disciplinis solenne dixissent sacramentum. Quo pacto igitur studiis praestantioribus ii operam nauent, qui perpetuis curarum iactantur fluctibus, neque vllam habent, in quam se recipiant, quietis ac tranquillitatis stationem? Qua ratione ea ipsa studia, quae primis veluti lineamentis ac rudi penicillo leuiter adumbrauerant, aliquando absoluant atque perficiant, nisi possint horam exiguam per honestissimum otium traducere?

At vero dubia hic vestrum ora haud obscure illud indicare videntur: esse nimirum in hac Vrbe totaque Italia innumeros paene viros, qui cum non minus praestantissimum a natura ingenium, quam opulentas a maioribus suis facultates otiumque acceperint, singularis tamen doctrinae laude supra vulgus haudquaquam excellant. Praeterea plura hodie in tot religiosis familiis, quam olim Athenis, scientiarum patere lycea, quae hominibus ingenio pollentibus literarum otium solitudinemque praebeant abundantissime. Immerito igitur domesticae difficultati, aut Maecenatum penuriae vertitur, si plerique eorum, qui primos in literis ordines ducere potuissent, gregarios inter milites agant. Ac propterea quod illi mediocriter eruditi, quod semidocti in literatorum plebe numerentur, eorum profecto vitio dandum, quod ad alta nati humi repere

repere malint, et excellentius quicquam audere cum possint, minime curent. Quid? minime curent? Equidem curarent, opinor, si propositis praemiis, ac veluti sublato ad meliora sperandum signo, cohortarentur et ad studia sua diligentius expolienda, ac magis accurate cogitateque limanda inflammarentur. Quemadmodum enim Miltiadis Imperatoris tropaea Themistoclem ad praeclara facinora e somno excitarunt; ita innumeros fere homines per hosce dies videremus, qui veterno excusso, pro aris focisque decertaturi in arenam summa literarum gloria descenderent. Verum si quis forte in ea opinione versetur, quod ad promouendam doctrinae laudem satis superque sit hominibus ingenii vim, quietem otiumque suppetere, praemiorumque spe nulla optimas disciplinas ali posse atque augeri; is plane studiorum indolem doctrinaeque naturam minime nouit. Neque enim scientiarum iter tam planum, aut ita violis rosisque consitum esse quisquam prudens existimauerit, vt illud percurrentibus nulla reluctetur difficultas nullusque labor Quocirca vos, Patres amplissimi, et quotquot hic adestis bonarum artium aut asseclae, aut professores, testes appello. Vos quippe diuturno didicistis experimento, quam negotiosam grauissimamque prouinciam is subeat, cui in liberali aliqua facultate principatus tenendi cupiditas innascitur. Praetereo siquidem omittendas esse, vt admonet diserte M. Tullius, voluptates omnes; et non modo ludum, iocum atque conuiuium, verum etiam sermonem ipsum omnium paene familiarium deferendum. Praetereo, illa eadem delectationis studia relinqui oportere, quae cum naturalem quandam cum ingenio cognationem atque affinitatem habeant, si deserantur, maximum, et incredibile sui creant desiderium. Mitto, inquam, haec omnia tanquam nullius, aut perexigui putarentur esse momenti. At quis non intelligat, quot annos ad primas doctrinae laudes consequendas in literario puluere vehementer enixeque sit desudandum? Quot labores molesti ac difficiles ineundi? Quot dies noctesque permagno valetudinis incommodo summoque etiam nonnunquam vitae discrimine libris rerumque contemplationi inhaerendum? Nam quae tam firma corporis valetudo, aut tantus animi vigor, quem pertinax studiorum contentio paullatim infringere non soleat atque omnino labefactare? Dubitari plane non potest, quin ex ipsa studiorum assiduitate importuni saepe ac maxime periculosi procreentur morbi, qui aut vitae curriculum intercipiant, aut vires tam grauiter conficiant, vt cum iisdem ad extremum vsque spiritum necesse sit misere colluctari. Quod igitur non solum maximis laboribus, sed etiam dura corporis afflictatione summoque capitis periculo comparari debet, tametsi in eo honestas sit plurima, raro homines, praemio nullo proposito, persequuntur. Quinimo plerique ab ipso prorsus abhorrent, quod scilicet vitam, qua mortalibus nihil potest esse iucundius, ea viuendi consuetudine perditum iri intelligant.

Satis igitur opportune Romana Respublica tot tantisque honoribus amplissimisque praemiis rei militaris studium cumulauit, vt in illis summatim et quasi compendio recensendis Alexander ab Alexandro, Rosinus, Lipsius, Graeuius aliique complures integra paene volumina confecerint. Nouerant quippe sapientissimi viri ad eiusmodi vitae genus laboris maxime plenum ac periculi, nisi homines praemiorum nouitate ac magnitudine allicerentur, perpaucos fore, qui tam grauem ac peri-

riculosam viuendi rationem pro salute ciuium, aut sola gloriae cupiditate susciperent. Cum itaque literarum studia diuturnitate laborum militarem disciplinam facile superent; neque minus ex hac domestica et vmbratili studiorum exercitatione ac pugna, quam ex hostium medio agmine sit capite periclitandum, mirum non est, si fere nemo reperiatur, qui sola gloriae spe nulloque praemio ductus tam difficilem ac plenam aleae prouinciam subeat. Fuit, fuit quondam ista in literaria Republica virtus, vt pro literis homines non modo bona, fortunas ac patriam, sed ipsam quoque vitam, si opus esset, constantissime offerrent; neque aliud praemium, quam doctrinae laudem, aut praeclaram quampiam veritatis notitiam quaererent. At relanguit iampridem vetus ille studiorum ardor gloriaeque cupiditas, quam nisi tempestiue Maecenatum beneficentia excitet atque inflammet, de literis actum erit omnino. Quapropter quod ipsae nunc apud exteras nationes, vbi olim in sordibus situque iacuerant, potissimum vigeant, quod mirum in modum efflorescant, id sane singularis munificentia praestitit potentissimorum Principum, qui, vel inter diuturnos bellorum strepitus, et quotidianas armorum solicitudines, optimas disciplinas ali ac foueri posse, raro quodam liberalitatis exemplo, demonstrarunt. Quamobrem nisi veterem Italiae gloriam cum exteris gentibus in contentionem literariae existimationis vocare iniquum esse videretur, aut me, hominem in Italia natum, eas ipsis doctrinae primas, quas illae sibi arrogantius fortasse tribuunt, vltro velle permittere; hic iam in medio proponerem, quousque apud illas regiae beneficentiae cumulus bonarum artium fortunam amplificauerit, et ad summum prope honoris gradum euexerit. Nullam quidem ex ingenuis artibus scientiarumque ordine esse videretis, quae nova aliqua gloriae accessione non prodiret ornatior longeque illustrior. Videretis Ecclesiasticam historiam antiquis expiatam anachronismis dubiisque locorum anfractibus expeditam ad exactissimas Chronologiae leges ac Geographiae normam optime restitutam. Videretis Theologiae maiestatem iam inanium quarundam quaestionum labe vindicatam, ac Sanctorum Patrum praesidio ita communitam, vt deinceps bacchanti hostium audaciae non sophistarum nugas, sed sanctissimorum hominum religionem, non leuium syllogismorum ratiunculas, sed solidam Catholicae veritatis doctrinam opponat. Quid vero Geometriam, quid Analyticam, Mechanicam, Astronomiam ceterasque Mathematicas disciplinas, quas omnes eo amplitudinis euectas esse prospiceretis, vt audeant iam ad veterem Graeciae gloriam prouocare? Quid multiiugem Romanarum Graecarumque antiquitatum eruditionem, critices studium ac paene omnium notionem linguarum? Et quidem earundem omnium bonarum artium hanc vnam esse vocem audiretis orationemque communem: Quod nos, vetustatis squalore posito, splendidiorem faciem viuidioremque consequutae simus, quod tot tantisque auctae ornamentis ad maximum et vix optandum dignitatis fastigium peruenerimus; id non tam cedit in laudem doctissimorum hominum, qui nos multo labore multisque suis vigiliis expolire et elegantius ornare conati sunt, quam singularis beneficentiae nostrorum Principum, qui amplissima dona in literatorum sinum largiori manu effuderunt. Horum sane liberalitas clarissimos vndique professores exciuit, qui nos iacentes erigerent erectasque magnificentius exornarent. Horum beneficio acceptum

referimus

referimus domicilium, quo nos extorres egentesque perbenigne receptae sumus. Horum largitati opes, fortunas, honores: horum studio. Sed satis, iam satis. Hactenus enim, Auditores, non tam mea, quam eorum, qui bonarum artium mediocritatem Maecenatum crimini vertunt, vetus ac permolesta fuit oratio. Quae cum meliorem partem temporis eius, quod mihi definitum fuerat ad dicendum, surripuerit; video iam me iis premi angustiis, ut, ne diutius abuti videar patientia vestra, eorum, quae initio dicenda mihi proposueram, necessario compendium faciam. Illud itaque primum contendo in hac Vrbe, praecipua bonarum artium sede, huiuscemodi querimoniae locum nequaquam posse patere. Si quis enim ea esset audacia, vt assereret, vllo vnquam tempore in Vrbe Roma defuisse certissimos munificentissimosque literarum fautores, hunc impudentiae ac mendacii grauiter coarguerent haec ipsa saxa ac parietes, qui summam Leonis X. beneficentiam erga optimas disciplinas testatam maxime faciunt; atque omni posteritatis memoriae praedicant, Leonem X. ad perpetuum literarum ornamentum Romanum hoc Archigymnasium instaurasse, ac bonarum artium magistris perampla decreuisse stipendia. Deinde etiam, reliquorum Summorum Pontificum serie ducta, nullo negotio demonstraretur, Romae literas potius deesse potuisse, quam literis patrocinia. Quis enim, vt antiquiores aetates missas faciam, Gregorios, Vrbanos, Alexandros, Clementes, Innocentios, Pontifices Maximos, memoria repetat, qui in illis praesidium ac firmissimum propugnaculum literas habuisse non videat? Quid vero nunc de Clemente XI. Pontifice sapientissimo ac bonarum omnium artium amantissimo? De quo in hac re praesertim tametsi, vt de Carthagine ait Sallustius, tacere satius sit, quam pauca dicere, nemini tamen vestrum obscurum esse arbitror, illum tam bene de optimis disciplinis iam esse meritum, vt quas aliorum Summorum Pontificum immortalitati statuas, signa ac monumenta in Capitolio ceterisque publicis in locis Senatus Populusque Romanus posuit; vel quod illi elegantiorem Vrbi formam induxerint atque ampliorem, vel quod veteres obeliscos, aut marmoreas columnas ad eam ornandam erexerint, vel tandem quod vberrimis aliunde deriuatis aquis, non tam fontes, quam flumina in Vrbem commode inuexerint; eae omnes Clementi XI. cum iis nominibus, tum maxime literarum titulo, tanquam literarum earundem literatorumque parenti beneficentissimo excitandae esse videantur. Etenim quaenam opes, qui honores, qui magistratus, aut quae dignitas in Vrbe fuit, quam a studiosissimo literatorum Principe consequi non potuerit qualiscunque honestissimam bonarum artium commendationem cum integritate morum coniunctam prae se ferret, etiamsi homo externus ac transalpinus hospes Romam aduenisset? Quocirca illud satis sit dicere, quod Purpuram ipsam, maximum ac singulare Pontificiae amplitudinis praemium, eloquentiae ac doctrinae venalem fuisse expositam vidimus.

Quae cum ita sint, Auditores, superest iam, vt eo, quo altera orationis pars sponte sua vergere videtur, animum intendatis, dum breuissime doceam, quonam pacto vnusquisque literatorum sibimet studiorum suorum comparare possit vindicem ac patronum. Quod quidem statuo nemini fore difficile, si labore industriaque conetur doctrina ac literis inter ceteros eminere. Sit enim quispiam latini sermonis elegantia politus, aut singulari dicendi facultate ornatus,

 seu


ſeu mathematico in puluere egregie verſatus, hunc procul dubio principes viri honore proſequi, hunc ciuitates publica quaſi legatione accerſere, hunc reges maximis praemiis ad ſe pertrahere ſummo ſtudio ac voluntate certabunt. Quod ſane argumentum non modo antiquioribus repetitis exemplis, verum etiam recentiſſimis rebus planum omnino facere poſſem, niſi aut doctiſſimorum hominum amicitiae nimis tribuere, aut eorum exiſtimationi de induſtria blandiri velle viderer. At quos tandem quaeſo literatorum prae ceteris maiores noſtri fouere, ſummoque loco habere conſueuerunt, niſi eos tantum, qui ingenio doctrinaque magnopere excellerent? Platonem quidem tantam a Dionyſio Syracuſano gratiam iniiſſe compertum eſt, vt ei, Syracuſas aduenienti, non ſolum Rex idem obuiam ierit, ſed etiam regali rheda, cuius Rex ipſe moderabatur habenas, exceperit, ac triumphali plauſu ingentique populi acclamatione in vrbem aduexerit. An Cliniae, an Tymaeo, aut Philolao aliisque ſexcentis, qui per illud tempus in maxima frequentia erant philoſophi, obuium ſe dedit Dionyſius, curru recepit ſuo, et ad ampliorem triumphi celebritatem idem ipſe regio paludamento ornatus aurigam egit? Tanta profecto honoris amplitudo nequaquam iis defertur, qui philoſophantur in triuiis, aut barba tenus philoſophi, vt ait M. Tullius, exiſtimantur; ſed illis ſine controuerſia debetur, qui optimarum rerum cognitione atque exercitatione philoſophi perſonam grauiſſime ſuſtinent. Vnus itaque Plato honorificentiſſime excipitur, vnus opibus fortunisque a Syracuſano Rege cumulatur, quod vnus inter ceteros praeſtantiori doctrina caput extollat, quod vnus ingenii ac philoſophiae princeps, quod denique vnus tantam ſibi apud omnes conciliauerit auctoritatem, vt ipſe Romanus orator cum Platone errare, quam cum aliis philoſophis vera ſentire maluiſſet. At fortaſſe id temere factum, et ad Platonis fortunam plus habuit momenti libido Principis et arbitrium, quam ſapientiae ſingularis praerogatiua. Ac proinde quod quispiam, quemadmodum Plato, aliquem ſtudiorum ſuorum vindicem habeat liberaliſſimum, id non tam doctrinae conditioni, quam praeclaro fortunae beneficio tribuat neceſſe eſt. Ita ne vero? At Reipublicae literariae annales diligentius euoluant, qui hoc modo ratiocinantur. Id vnum aetatum omnium conſenſu atque auctoritate firmatum inuenient, eos videlicet tantum gratia ac liberalitate Principum floruiſſe, qui non litus legere, ſed in altum diſciplinarum prouehi minime dubitauerint. Heroicis enim illis bonarum artium temporibus, iu quibus cum eaedem inſigniter vigerent, tanta quoque erat philoſophorum poetarumque copia, vt ſicuti exercitus in legiones et cohortes, ita illi in ſectas ordinesque diuiderentur, eos duntaxat apud primarios viros omni humanitatis officio receptos fuiſſe accepimus, qui earundem bonarum artium haberentur inſtar imperatorum. Patebat quidem Caeſaris Auguſti domus clariſſimis poetarum ducibus Publ. Virgilio et Q. Horatio, quam tamen Chaerilis et Cluuienis aliisque eius notae verſificatoribus patuiſſe non legimus. Cum illis ſcilicet, quod et acumine ingenii et elegantia ſtyli ceteris palmam eripuiſſent, humaniſſimi Principis familiaritas omnis erat atque coniunctio: eorum aſpectu, ſermone atque conſuetudine frequentiſſime recreabatur.

At piget me tamdiu exemplis huiusmodi eſſe immoratum, qui rem ipſam ſtatim oculis ſubiicere quodammodo potuiſſem. Quid quaeſo eſt, Auditores, quod ex popularibus hisce artibus ea ipſa,

ipsa, quae aliis fructus insignes contulit, eadem aliis decoquere soleat nulloque esse adiumento? Nam quotidie videmus nonnullos caelandi, aut pingendi studio haud mediocres sibi fortunas comparasse, quibus artibus alii vix tantum pecuniae trahant, quantum tolerandae quoquomodo vitae sit satis. Nonne discrimen hoc ex eo potissimum ducitur, quod cum illi praeclari castigatique opifices, hi contra mediocriter in ea facultate versati esse existimentur, si quod affabre accurateque elaborandum sit opus, reiiciuntur hi, inuitantur illi, ac perhonorifica mercede proposita conducuntur? Studiosos itaque sui ac paene dixerim Maecenates habent caelandi, aut pingendi artes, modo eae vulgares nequaquam esse censeantur. Vtilitatis afferunt plurimum, non inficior; sed iis tamen, qui ingenio industriaque ad earundem artium principes propius accesserint. Praeterea florentissimae illae duae artes, Medicina ac Iurisprudentia, in quibus prae ceteris omnibus, vt sermo communis inualuit, opes maximas atque honores fortuna collocasse creditur, an tales sunt, vt earum praesidio homines honori opibusque feliciter velificentur, tametsi iisdem leuiter tincti nullum sibi nomen existimationemque confecerint? Fautores certe non habent plurimos, qui aegrotos medicaminibus, aut qui legum formulis iugulant patrimonia. Verum qui in istiusmodi facultatibus praestantissimi recensentur, eos gratiam inire auctoritatemque, apud optimates sibi conciliare videmus, eosque ad amplificandas fortunae copias, aut ad honores maximos consequendos viam sibi munire expeditissimam. In quo quidem orationi meae firmiorem, quam opus sit, fidem complures, quos hic video esse, viri clarissimi exemplo suo satis commode faciunt. Quemadmodum igitur quod eius generis artes nonnullis fructuosae non sint, imo potius iacentes ac steriles, impudentia singularis esset, id non tam professorum mediocritati, quam earundem artium vitio, aut iniquissimae temporum conditioni tribuere; ita fere intolerabilis videtur esse eorum audacia, qui ex leui quadam literarum vmbra cum neque opes, neque fortunas trahere potuerint, literas ipsas iacere clamitant, nullosque per hosce dies inueniri bonarum artium patronos, nulla superesse studiorum praemia. At desinant tandem aliquando, desinant per Deum immortalem tam impudenter ac stulte conqueri. Ipsi profecto iacent, non artes. Ipsis vtpote feriatis remissisque ingeniis desunt semperque deerunt patrocinia, nunquam vero strenuis literarum cultoribus. Praemia nulla extant; sed ipsis mehercule nulla, qui oscitantes ea consequi neque labore, neque industria conantur. Excellendum est itaque praestantiori disciplinarum studio, excellendum: tum vero deesse non poterunt praemia, neque fautores munificentissimi; cum minime defuerint in hac Vrbe, vt recentiores consulto praeteream, Francisco Philelpho, Pomponio Laeto, Iano Parrhasio, M. Antonio Mureto sexcentisque aliis, primariae eruditionis viris, qui egregia quapiam doctrinae laude floruissent; cum memoriae traditum sit eundem Muretum Romae ad politioris literaturae et eloquentiae ornamentum annuo fuisse mille aureorum stipendio Gregorii XIII. liberalitate donatum. Non defuerunt, inquam, non solum ingentes opes, sed etiam amplissimae dignitatis splendor Petro Bembo, Iacobo Sadoleto, Guilielmo Sirleto, Caesari Baronio, Roberto Bellarmino aliisque quamplurimis; qui quandoquidem eruditionis ac doctrinae praestantia se supra ceteros extulissent, Summorum Pontificum prouidentia, sedula sem-

per meritorum indagatrix, fecit, vt dignitatis quoque amplitudine ac purpura supra ceteros eminerent.

Quae cum ita se habeant, vos iam probe intelligitis, Adolescentes optimi, quousque vestra ducenda sint studia, quo aetatis, quo industriae neruos intendere oporteat, vt studiorum fructus feratis locupletissimos atque pulcherrimos. Non vulgaris doctrinae ratio, non popularis quaedam mediocritas, sed summus scientiarum apex fortiter est attentandus, si optimas disciplinas maximo vobis vsui et ornamento esse velitis. Quamobrem ne patiamini ab suscepto studiorum cursu deduci, aut saltem industriam vestram retardari ex perniciosis eornm sermonibus, qui vulgato quasi prouerbio dictitant, iam bonarum artium studia profligata esse ac prope deposita, quod neque sint hac nostra aetate literarum praesidia, neque vlla: vt olim proposita musis praemia. Contemnite, obsecro, ac pro nihilo ducite querelas eiusmodi inanesque clamores. Snnt equidem Romae, sunt maxima literarum praemia, sunt studiorum fautores propugnatoresque grauissimi, neque defuerunt vnquam: et si antea defuissent, certe Clemente XI. Pont. Max. non deerunt; qui cum sit et omni doctrinae genere cumulatissimus, et tot iam tantisque argumentis voluntatem suam in bonarum artium studia significauerit, omnem vobis profecto dubitandi locum eripuit, quin Romae ad opes, ad magistratus, ad imperia, ad purpuram etiam ipsam innocentia vitae ac doctrinae nobilitate affequendam aditus vniuersis pateat amplissimus. Cum igitur tam liberum vnicuique vestrum sit beneficentissimi Principis animum promereri, quam literis et eruditione excellere; iam plane cognoscitis, Maecenates vobis minime defuturos, nisi per otium inertiamque vobis vos ipsi defueritis. Quod quidem eo grauius esset reprehendendum, quo maior est horum clarissimorum diligentia professorum, quorum labores in hoc Romano lyceo vtilitati vestrae seruiunt, quorum conatus omnes, vigiliae ac studia ad vos ornandos erudiendosque maxime referuntur. Vestrum igitur sit, pari animi cura ac diligentia efficere, vt eorundem labori industriaeque maximus in vobis vberrimusque fructus respondeat; atque hinc ea consequi possitis dignissima praemia, quae vobis non minus Romani Pontificis beneficentia, quam doctrinae amplitudo ac praestantia pollicentur.



DE

DE

LAVDIBVS

LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS PARENTALIBVS

ORATIO III.

HABITA VII. IDVS FEBRVARII AN. MDCCXIV.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

PAVLINVS A S. IOSEPHO
SCHOLARVM PIARVM.

TANTVM abeſt, vt conquirendae ſint cauſſae, cur tuo potiſſimum nomini, CLEMENS, *Pontifex Maxime, hanc Orationem inſcribam, vt potius ſiue argumenti magnitudo, ſiue loci, vbi habita eſt, dignitas ſpectetur, ea iure ſuo omnino ad te pertinere videatur. Beneficentiam quippe illam et amorem erga bonarum artium ſtudia plane ſingularem, quem in Leone X. ſuſpeximus et admirati ſumus, ecquis in te pariter maximum et flagrantiſſimum eſſe non videat? Neminem profecto latet, optimas diſciplinas per omnem tibi aetatem vsque eo a prima pueritia in deliciis fuiſſe et amoribus, vt deinde in omni fortunae gradu iis magis ſemper quam tibimet vixiſſe videaris. Itaque non eſt, cur miremur, quod hoc ipſum Romanum Archigymnaſium, perantiquum bonarum artium domicilium, tam ſapienter ſplendideque a Leone X. inſtauratum, a te eximie diligi tibique praecipue cordi eſſe intelligimus. Quin etiam, ſi per ſummam turbulentiſſimorum temporum difficultatem id licuerit, aliquando fore ſperamus, vt quam olim in ampliſſimo hoc loco ſub Leone conſequutae fuerunt optimae artes celebritatem, ea, te Pontifice, deeſſe nullo modo poſſit. Quod plane efficies, ſi ea ipſa, quae ad ſempiternam Academiae huius dignitatem praeſidiumque Leo ſapientiſſime decreuit, quaeque iam nonnihil temporum viciſſitudo immutauit, priſtino iuri reſtituas. Hinc enim erit, vt quae per Orbem vniuerſum latiſſimae Archigymnaſii huius peruagata eſt fama, ſub literatiſſimo Principe maxime vigeat; neque ſit, cur Leonis aetati, quae aurea literarum aetas fuiſſe dicitur, noſtris huce temporibus quidquam inuideat. Quod profecto ſi ſemel eueniat, quibus tum laudibus nomen tuum ad caelum efferemus? Quas immortales gratias haec tibi noſtra Academia publica auctoritate quotannis perſoluendas ſtatuet? Sed vt vt haec ſint, ego is plane non ſum, qui ventura tempora recentioresque cauſſas conſectari debeam, propter quas me tibi quam maxime obſtrictum eſſe profitear. Tot iam praeclara in me meritorum tuorum ſuppetunt argumenta, vt ingratus omnino eſſem atque immemor, niſi ea, quae acceperim, quanti a me facienda ſint, ſatis agnoſcerem, idque aliqua ſaltem ſignificatione teſtarer. Quorum vero praecipue beneficiorum nomine? Eorumne, quibus noſtrum Scholarum Piarum Ordinem tam liberaliter cumulaſti tot praeſertim Seminariis, aut Collegiis, Albae, Cortonae, Rheatae, Amalphi, Vrbini beneficentia tua inſigniter amplificatum? Magna quidem ſunt haec ac ſane digna, vt noſter ipſe Scholarum Piarum Ordo vniuerſus te parentem beneficentiſſimum perpetuo et agnoſcat et colat et veneretur. Cum tamen mihi cum noſtratibus omnibus communia ea ſint, non tam*

priuati

priuati vnius hominis, quam commune omnium exigunt grati animi monumentum. An igitur beneficii eius quod proprium est, nomine gratias agam, quod videlicet perhonorificam mihi eloquentiae in hoc Romano Archigymnasio prouinciam dederis, ac me nominis prope nullius hominem ad summam huiusce loci celebritatem euexeris? Id certe, siue ingenii mei mediocritas siue loci huius, qui eloquentissimo cuique semper patuit, amplitudo spectetur, maius est, quam tibi vnquam pares pro beneficio gratias agere possim. Longe tamen maius est aliquid, quod splendore suo cetera obruit, et quod mihi maximi ac praecipui beneficii loco semper erit, diligentiae scilicet industriaeque meae demandasse ornatissimum et ad virtutu indolem plane factum iuuenem, fratris tui filium, ALEXANDRVM, *vt in bonarum artium studio ei quasi manu facem praeferrem, et commonstrarem viam, qua per summa quaeque virtutis maiorum suorum vestigiis insisteret. Id certe tanti apud me est, vt ceteris omnibus, quaecunque illa sint, beneficiis tuis silentio praetermissis, hoc vnum potissimum esse censeam, atque hoc tantum vno me gratum ac memorem esse maxime cupiam. Etenim cum non deessent homines, ingenii et eruditionis fama praestantes, qui ad hoc munus obeundum impense studium atque operam profitebantur suam, ea tamen fuit tua humanitas, vt me militem quasi gregarium iis praeferri velles, qui primos in literis ordines ducere videbantur. Quamuis autem non ita me ignorem, vt id mihi tribuam, et non tuae potius humanitati, quam tenuitati meae acceptum ferendum esse videam; malui tamen tam praeclari commemoratione beneficii modestiam meam in suspicionem vocari, quam ingrati animi notam mihi eius silentio inuri. Quia vero id satis esse nullo modo potest, vt aliqua saltem ex parte huiusmodi beneficentiae respondeam, si nulla alia re, at certe industria ac diligentia operam dabo, vt studiorum cursum, multa iam cum laude susceptum, clarissimus idem Iuuenis ita aliquando absoluat perficiatque, vt tua de me iudicia sustineat; atque ipse perpetuum extet tibi memoris gratique animi mei monumentum.*

Si vllo vnquam tempore Vrbem hanc ingenti luctu ac moerore propemodum incredibili concidisse putauerim, vt plangor in tectis, in templis aetatum omnium concursus, silentium in curia, vastitas et solitudo in foro, vbique moestissima rerum facies obuersaretur; tunc, opinor, fuit, cum importunus et vniuerso populo Romano grauissimus rumor percrebuit, Leonem X. Pontificem Optimum Maximum, bonorum omnium votis ac publicae incolumitati repente immatureque fuisse praereptum. O diem bonis omnibus funestissimum! (is, puto, vnus omnium erat gemitus ac comploratio) O acerbissimam et vix plane ferendam calamitatem! O nos miserrimos, qui pastorem vigilantissimum, qui liberalissimum Principem, qui parentem optimum amisimus, qualem neque nostra, aut parentum aetas tulit, neque literarum monumentis vlla vnquam effinxit antiquitas! Quid enim excogitari poterat in terris tanti Principis maiestate augustius, quid magnificentius, quid ad gloriam laudemque optabilius? Quanquam non aetas, non sexus, non ordo vllus est, qui lacrymas possit ac doloris impetum coercere, frustra tamen immensum publici parentis desiderium atque enormis iacturae casum, doloris magnitudine exaequari posse speramus, cum hoc vno in funere non modo Europae lumen ingens, sed vniuersae Christianae Reipublicae splendor quam maximus fuerit extinctus. At vero, in tanto tum priuato, tum publico populi

puli Romani luctu qualis, aut quanta esset lamentatio fletusque bonarum artium, cogitatione potius percipi potest, quam satis verbis et oratione comprehendi. Quemadmodum enim liberalissimi Pontificis beneficentia, etsi erga omnes maxima, in optimas tamen disciplinas singularis prope fuerat atque incredibilis; ita nihil illis contingere potuisset acerbius, ac maiori lacrymarum contentione deflendum, quam inopinato importuneque eodem ipso orbari, quem vnum sibimet ab interitu vindicandis reuocandisque ad pristinum gloriae fastigium quasi caelitus demissum acceperant ac venerabantur. Quamobrem singulae, mutata veste, squalore sordibusque moerentes, communis Parentis exequias prosequutae, diu multumque fleuere. Quid, inquam, fleuere? Imo adhuc hodierno die solenni funeris huius instauratione deflent iacturam Principis immortalitate dignissimi; institutaque quotannis funebri laudatione amplissimas eius laudes beneficiorumque magnitudinem ad gratam posterorum memoriam traducere summo studio ac voluntate contendunt. Cui quidem grauissimo muneri cum saepe alias robustioris eloquentiae viri sese impares experti fuerint; quid ego consilii capiam, qui nuno potissimum de ipsis LeonisX. laudibus ad dicendum surrexerim, cum neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, vllo pacto comparandus? Verum cum in hac semper opinione fuissem, inter tot tantasque ipsius Leonis virtutes nullam omnino reperiri, quae sublimi eloquentiae apparatu indigeret ornari, sed satis superque esse, vt earum magnitudo in sui admirationem omnium erigeret animos, illas quasi nudas in medio proponere; hinc est, vt minus necessariam, aut idoneam hac in re eloquentiam futuram esse putauerim, cum Geometria potius ad ipsarum magnitudinem rerum dimetiendam accommodatior esse videretur. Veniam itaque dabitis, Auditores, si cum ea ipsa, quae necessario mihi sustinenda est oratoris persona, geometrae quoque partes suscepero. Ad hoc enim me, non tam ea, quam mihi ab ineunte aetate Geometriae ipsius studium attulit, delectatio impellit, quam noua quaedam et inusitata magnitudo virtutum, quae specie plane insolita vim omnem superant eloquentiae. Hae vero tametsi in Leone plurimae sint, et omnes de principatu inter se certare videantur, illud tamen, de quo nos praecipue huius amplitudo loci et communis officii ratio opportune admonent, et quod, nobis tacentibus, haec ipsa saxa ac parietes quodammodo praedicant, illud, inquam, est Romani huiusce Archigymnasii egregium ac prope diuinum opus. Quo quidem sapientissimus Pontifex non modo apud populum Romanum, sed apud exteras quoque nationes sibi nominis immortalitatem comparauit. Ad hoc igitur vnum tam praeclarum ac maximum Leonis X. beneficium, quantum et angustia temporis et ingenii mediocritas patitur, accurate designandum et quasi per partes explicandum aggrediar. Cuius, vt tota quanta est, luculentius magnitudo dignoscatur, longitudinem in eo, latitudinem ac profundum perscrutari et quodammodo dimetiri conabor. Vt nimirum celeberrima hac triplici Geometriae dimensione, ex qua rei cuiuslibet magnitudo desumitur, tum vos, Patres amplissimi, tum populus Romanus, tum exterae gentes intelligant, quam magnum ex omni parte illud sit, quod a Leone X. in hoc vno beneficio acceperint, et quantum pro hoc ipso ab omnibus ei potissimum debeatur.

Nemo tamen sit, qui in praeceptis institutisque Philosophiae adeo me nouum putet ac rudem,

dem, vt nondum satis perceperim, quid intercedat discriminis inter magnitudinem molis atque virtutis. Quamobrem temere et inani quodam conatu ad Geometriae normam et regulam ea dirigere velim, quae cum partibus dimetiendis reuera careant, in longum, latum, aut profundum magna esse, aut dici minime possunt. Noui profecto, noui aliam esse virtutis mensuram; neque vnquam ex circini ratione clarissimorum hominum magnitudinem desumendam esse putaui. Quia vero habet quoque sua spatia virtus; et nonnunquam rerum gestarum magnitudine ita excrescit, atque in amplitudinem extenditur, vt longitudinis, latitutudinis ac profundi aliquod prae se ferat argumentum; cui alienum et virtutis ipsius naturae parum consentaneum esse videatur, ad geometricam normam eam, quam nobis exhibet virtus, magnitudinem quodammodo reuocare? Magnum itaque siue in longum, siue in latum, siue in profundum illud contemplari libeat, fuisse, dico Leonis X. beneficium, Romano hoc Archigymnasio tam sapienter splendideque restituto. Ab eo tamen, quod geometrico more postremo loco deberet inquiri, exordium video necessario mihi esse ducendum. Non enim tam facile de reliqua tanti operis magnitudine diiudicari posset, nisi primo, quod quantumque in eo sit profundum, liquido appareat. Profecto nonnullis, qui per hos dies hoc ipsum Archigymnasium extrinsecus longeque circumspiciunt, illud euenire solet, quod pueris, tum etiam imperitis hominibus, dum oculos in solem, aut sidera coniiciunt, quotidie euenit. Cum enim neque sensu, neque scientia percipiant, quam vastum ac profundum illud sit spatium, quo clarissima eadem caeli lumina a nobis longissime distant, inepte prorsus stulteque de eorum magnitudine ac mole ratiocinantur. Neque enim in animum sibi inducere vllo pacto possunt, compluribus stellarum globis terrae magnitudinem vinci; aut plusquam millies et septingenties, imo plusquam viginti septies millies solem esse terra maiorem. Quod tamen ex accuratiori recentissimorum astronomorum industria ac calculo satis liquido constat. Haud dissimili fere ratione non desunt, qui tam praeclari operis magnitudinem capere, aut complecti animo nequeunt: imo vero de illo impudenter ac temere disserunt, quod quam profundum fuerit huiusce rei institutum, minime intelligant. Quod certe intelligerent, si eorum temporum, non tam annalibus, quam luctuosa malorum, quae tunc nobis imminebant, iliade sibi proposita, animaduerterent, in qua rerum fortuna clarissimi huius imperii dignitas, Romanae Ecclesiae iura ac Christianae totius Reipublicae salus versaretur. Viderent scilicet tristissimam Italiae faciem, vndequaque fulgore armorum ac strepitu perturbatam. Viderent disseminatas multis in locis perditissimorum hominum opiniones, prouincias ab auctoritate Romani Pontificis improbe discedentes, surgentes vndique ac per omnia propemodum Christiani nominis regna persuadentes impiorum dogmatum pestes; vnoque verbo, res nostras in illud adductas fuisse discrimen, vt non iam de proferendis imperii finibus, sed de Italiae ipsius possessione, de nostris hisce aris focisque certaretur. Quid igitur consilii Leo X. capiendum sibi esse duceret, qui in maximis eiusmodi turbinibus ac periculosis fluctibus Ecclesiae nauim gubernaret? Quam salubriorem, aut probatam magis tam multis grauissimisque vulneribus medicinam afferret? Nulla profecto visa fuit opportunior, quam bonas artes vbique tunc fere iacentes erigere. Hanc vnam proximam et quasi compen-

compendiariam censuit fore viam ad tuendam templorum religionem et Ecclesiae dignitatem vindicandam: his telis atque armis improborum hominum conatus ac vim nefariam infringi posse ac repelli.

Et quidem non modo vetus est et sapientum omnium firmata iudicio, sed cum ipsis paene literis nata opinio, maximam esse in Republica vim literarum; neque aliud quicquam praeter literas ad tuendam populorum felicitatem plus habere momenti. Quod praeclare olim cum Mitylenaei intelligerent, eas, quas semel armis subegissent gentes, nulla alia, vt auctor est Aelianus, mulctabant poena, nisi vt liberos suos omnino arcerent a literis: omne illis praesidium se sustulisse rati, vbi tantum literas sustulissent. Quorum consilio certe haud minus improbe ac malitiose fecit nefarius ille Christiani nominis proditor atque desertor infestissimus Iulianus Imperator, qui quo certiorem sibi ad Christianam religionem funditus evertendam muniret viam, iis, qui Christianae eidem religioni sacramentum dixissent, literarum studia grauissimorum suppliciorum metu interdixit. Nouerat quippe homo, apprime callidus ac vafer, in optimis disciplinis situm esse firmamentum religionis ac Christianae rei propugnaculum: quamdiu vero ea studia florerent, religionem ipsam oppugnari minime posse, aut labefactari. Ex quo iam probe intelligitis, Auditores, quid sibi proposuerit sapientissimeque cogitauerit Leo X. cum in maxima eiusmodi perturbatione summoque Christianae Reipublicae tempore bonarum artium studia iam tum profligata ac prope deposita ab interitu vindicare, atque illis sedem et domicilium in hac Vrbe potissimum restituere aggressus fuit. Non inane aut vulgare aliquod, sed grauissimum suscepit negotium, cum de inferendo nefariis hominibus acri ac perpetuo bello, cum de tuenda Romanae Sedis auctoritate, de propugnanda sacrorum religione negotium suscepit. Quae quidem omnia cum bonarum artium studio ac dignitate cum maxime coniuncta esse intelligeret, ea se satis feliciter consequunturum sperauit, vbi ipsamet studia in hanc amplissimam imperii sedem atque Vrbem omnium principem reuocasset. Ne cui vero haec ad augendam bonarum artium existimationem de industria a me dicta esse videantur; cogitate mecum, Auditores, qui tum Romanae Sedis hostes, et quibus praecipue armis nefarium Ecclesiae bellum intulissent: homines scilicet, qui in Graecis, Hebraicis Latinisque literis maxime versati, atque omni eruditionis genere summopere instructi, non minus ipsis bonis artibus, quam audacia ac furore armati, ad omnia tum humana, tum diuina sursum deorsum pro libidine pertrahenda, impudentia plane singulari abutebantur. Quorum partim cum peruersis distortisque sententiis sacrarum literarum sensum auctoritatemque perturbarent; partim pestilentissimis editis commentariis populorum animis perniciosas insererent opiniones; partim denique concionum impudentissimarum vi et frequentia vrbes ac prouincias ab ipsius Romanae Ecclesiae sinu complexuque diuellere conarentur: vnus tamen omnium erat furor, eoque communis spectabat improbitas, vt subdole exteris gentibus persuaderent, Vrbem Romam, Catholicae olim veritatis magistram, in summa nunc literarum ignoratione versari, atque ibi omnia iam pro auaritia ac libidine, non aequo iure ac doctrina, vt olim, consueuisse tractari. Ac proinde, Vrbe ipsa iam omnino relicta, ad exteras nationes germanam ac veram commigrasse pietatem et religionem; seque vnos tum diuinitus

nitus fuiſſe oblatos ſacrarum literarum magiſtros ac duces, qui in literarum ipſarum ſtudio fere omnem traduxiſſent aetatem, qui ſapientia ac multiplici eruditione florerent, qui denique omnium prope linguarum notitia maxime excellerent.

Vt igitur impudentiſſima iſtiusmodi ora occluderet Leo, atque iisdem armis, quibus in Apoſtolicae Sedis exiſtimationem ac dignitatem nequiſſimi hoſtes impetum fecerant, in certamen deſcenderet, eosque quaſi proprio ipſorum enſe iugularet; non modo ſuum eſſe duxit, tales ſibi deligere viros, qui doctrinae et eloquentiae partes pro eiusdem Sedis Apoſtolicae maieſtate grauiſſime ſuſtinerent, ſed clariſſimis quoque vndique accitis bonarum artium profeſſoribus, arcem hanc diſciplinarum munitiſſimam excitauit. In his itaque caſtris ſtipendia mereri voluit gubernatricem vitae ac ducem Philoſophiam, qua, vt praeclare Tullius, vir bonus et fortis efficitur, quaque Plato nihil praeſtantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuiſſe cenſebat. Hic firmiſſimum illud Catholicae religionis propugnaculum poſuit Theologiam, qua nihil praeclarius, nihil diuinius. Hic ſacrarum literarum hiſtoriam, vtriusque iuris doctrinam, linguarum fere omnium ſtudium. Quonam vero euentu, quo auditorum numero, aut quanta bonarum artium gloria, illud ſatis ſit dicere, optimas diſciplinas tantum hic breui aſſequutas fuiſſe celebritatem, vt, teſte Paulo Iouio, Romanum hoc ipſum Gymnaſium, neque Bononienſi, neque Patauino, vel doctorum praeſtantia, vel auditorum concurſu, concederet.

Quantum vero laudis Leoni X. apud omnes hinc acceſſiſſe putamus, quod ſcilicet tam ſapienti conſilio peruulgatos improbiſſimorum hominum ſermones abrupiſſet, conſtitutisque in hac Vrbe optimis diſciplinis, dignitatem Romanae Sedis, ſacrarumque ſcripturarum auctoritatem non propugnaſſet modo, ſed etiam quodammodo reſtituiſſet? Profecto propter vnam hanc ipſam ſtudiorum inſtaurationem, communi omnium opinione, vsque adeo de hac Vrbe, de his templis atque aris fuit optime meritus, vt plurimi et grauiſſimi viri in ea ſententia fuerint, illum iis omnibus praeferendum eſſe Romanis Pontificibus, qui multis ante annis tuendae amplificandaeque religionis gloria magnopere claruiſſent. Quod enim alii ſanctiſſimas ſtatuerint leges, ad improborum frenandam audaciam, ſiue ad populorum vtilitatem promouendam; alii vero, vt rem Catholicam, ſi qua in parte nutaret, tempeſtiue ſtabilirent, aut ſtantem erectamque opportune firmarent, vniuerſorum Patrum concilium aduocauerint, in eoque multa ſapienter ac diuinitus inſtituerint; quod denique alii propugnandae Chriſtianae Reipublicae ſtudio parauerint claſſes, copias inſtruxerint, ac ſeſe in Principum Regumque foedera adiunxerint, magnam reuera et ſapientiae et religionis famam ſibi compararunt: et nemo vsque eo perfrictae frontis erit, qui illos ſumma laude ac praedicatione dignos eſſe minime fateatur. Tamen ſi quis rem ſubtilius pergat inſpicere, neminem iſtorum cum Leone ob eiusmodi meritorum famam vllo pacto conferendum eſſe cognoſcet. Nam praeterquam quod praeclara eiuscemodi facta ad eos Romanos Pontifices non ita pertinent, vt cum Leone quoque communia non intercedant; cum ipſe et plurimas et grauiſſimas ſanciuerit leges, cum Lateranenſe Concilium a Iulio II. indictum atque inchoatum et ſapienter proſequutus fuerit, et feliciter fauſteque compleuerit; cum denique ad propugnandam tum Eccleſiae tum Italiae libertatem, non modo frequenter poten-

potentissimorum Regum amicitias sibi comparauerit, sed pertinacis quoque ingenii Principes, quique dicto minus audientes fuissent, omni prorsus imperii iure abdicanerit. Id tamen quo reliquis palmam eripuit, et quo ei prae ceteris haec Vrbs, haec moenia ac religio tribuere plurimum debent, sine controuersia fuit, optimarum artium studia in hac ipsa Vrbe amplissime restituisse. Nam quae tanta vis ad seruandam amplificandamque religionem siue in legibus, quas tempore saepe abrogari videmus, siue in armis, quae saepe irrito, saepe etiam poenitendo inferuntur euentu, continetur, quanta ea est, quae in bonarum artium institutione ac disciplina ponitur? Eae siquidem sunt, quae nos, de ipsa prope nutricis sinu acceptos, sapientiae lacte nutriunt ac fouent. Eae sunt, quae puerilem aetatem ad humanitatem et honestatis regulam informant. Eae, quanta sit in virtute dignitas ac splendor, quanta in vitiis labes et turpitudo, edocent. Eae denique veram erga Deum pietatem, rebus diuinis reuerentiam, religionem templis, principibus fidem atque obseruantiam constantissime habendam esse ostendunt. Quae sane si quis semel cum prima vitalis aurae particula ac paene cum lacte ipso penitus imbiberit; tam recte sapienterque reliquum vitae conficit spatium, vt ad virtutis naturam non tam factus, quam natus esse videatur. Haec itaque mens, hoc prope diuinum fuit maximi Pontificis consilium: honestissimas disciplinas in antiquum Vrbis huius domicilium, vnde per acerbissimas rerum vices tanquam de sede sua deturbatae fuerant, reuocare, quo vna cum illis integritatem, iustitiam, fidem, omnem denique virtutem postliminio reuocaret. Huius quidem sapientissimi instituti rationem postea Tridentini Patres non modo communi omnium consensione probarunt, sed nihil eo visum fuit opportunius, quodque ad veterem instaurandam adeo tum collapsam Ecclesiasticam disciplinam magis esset accommodatum. Ac proinde, vt tam arduum ac periculosae plenum aleae negotium auspicato susciperent, non aliunde omen, quam ab ipsa studiorum instauratione vbique gentium vtiliter instituenda, quaeri oportere duxerunt. Quamobrem hac de re primo et in ipso rerum agendarum limine, tanquam de caussa omnium maxima, praecipue cogitandum esse putarunt, ac tempestiue accurateque statuendum. Ex quo satis liquido constat, quam graue tum fuerit de huiusmodi studiis, iampridem in hac Vrbe a Leone instauratis, hominum sapientissimorum iudicium, et quam profundum illud aestimari debeat opus, in quo religionis praesidium, innocentiam vitae et Ecclesiasticae disciplinae dignitatem Tridentini Senatus auctoritas vsque eo positam esse iudicanit.

Iam vero ne longius, quam par est, protrahatur oratio, quanta sit praeclarissimi eiusdem beneficii latitudo, diligenter attendite. Equidem si reliqua Vrbis gymnasia, quotcunque illa sint, cum hoc omnium principe conferantur; quodnam quaeso est, quod scientiarum multitudine, quod varietate linguarum, quod denique rerum omnium humanarum diuinarumque vniuersitate quadam ampliorem prae se ferat latitudinem? Multis quidem aliis in scholis tum Philosophiae, tum Theologiae studia docte ac perite pertractantur. Vbi vero plura Theologorum subsellia, plures Patrum sententiae atque auctoritas? Vbi in tot distributa classes Philosophia vniuersa? Quid vero dicam de Mathematicis disciplinis? Quid de tanta linguarum multitudine, cum praeter duas illas ceterarum facile principes,

principes, Graecam scilicet ac Latinam, Hebraicis quoque, Arabicis ac Syriacis vocibus domicilii huius parietes quotidie personent? Illud vero, quod maiorem Academiae huius amplitudinem facit, quodque ei singulare omnino tribuitur ac proprium, procul dubio est tum iuris legumque disciplina, tum medendi facultas: quae quidem duo quantam, Deus immortalis! vniuersae Reipublicae vtilitatem afferunt, et quam amplissime per omnia humana ac diuina peruagantur? Ex tanto autem ac tam splendido disciplinarum omnium apparatu, ex tanta scientiarum turba tam multa sunt, quae et in publicum et in priuatum ciuitatis bonum deriuantur praestantissima commoda, vt in iis summatim et quasi compendio recensendis difficilius fortasse sit exitum, quam principium inuenire. Quocunque enim oculos cogitationemque conuerto, nullus mihi fere locus, nullum hominum genus occurrit, cui hoc studiorum emporium vtilitatem aliquam non afferat et emolumentum. Hic enim aetatis cuiuscunque atque ordinis adolescentes paratissimum habent perfugium, in quo sine molestia, sine impensa, et quod certe pluris est, sine melioris aetatis impendio diuturnoque taedio, breui, et vt Quinctilianus admonet, methodo satis simplici, tam humanioribus literis et eloquentia, quam grauioribus disciplinis instituantur, studiorumque suorum cursum summa facilitate ac breuitate conficiant. Quamobrem superuacaneum et inanis prope laboris esset, hoc loco diligentius recensere, quot praeclari ingenii iuuenes in his scholis olim liberaliter educati latinis postea graecisque literis floruerint; quot Philosophiae studio, aut Mathematicis disciplinis, quot medendi facultate, aut iuris tum Ciuilis tum Canonici scientia praestantes nomen suum immortalitati donauerint. Innumeri siquidem nunc prae oculis nobis sunt, qui amplissimo huic loco doctissimisque huius Academiae professoribus acceptum referunt, quidquid sibi honoris ac dignitatis contulit studium earum artium, quarum hic iam posuerant rudimenta.

Neque vero intra priuatas tantum aedes, aut intra Vrbis muros beneficii huiusce ratio ita se continet, quin et foras erumpat, atque in alias quoque regiones, non modo per Italiam vniuersam, sed per omnes propemodum Christiani imperii fines longe lateque excurrat. Quantam enim in dies videmus esse auditorum frequentiam? Quantum ex omni fere Europa concursum? Quot Iurisprudentiae, aut Medicinae, aut quibusuis aliis disciplinis operam daturi e transalpinis prouinciis huc summo studio ac voluntate confluunt? Vt iam haec disciplinarum officina non tam populo Romano, quam omnibus fere gentibus posita esse videatur. Ex qua quidem peritissimi illi Iuris dicundi magistri profecti sunt, in quorum auctoritate ac doctrina tam multis hodie in locis municipiorum leges, ciuitatum iura ac bona ciuium fortunaeque nituntur. Hinc Hippocratis accepere aphorismos tot clarissimi viri, qui iam summa laude medendi facultatem sustinent, quorum ore ac spiritu vita principum ac populorum salus animari quodammodo ac sustentari videtur.

At vero quam in omnes tum ciues Romanos tum exteras gentes haec late pateat studiorum beneficentia, haud satis intelligi posse arbitror, nisi a nobis, quae praecipua sit Romanae vrbis dignitas atque auctoritas, diligentius examinetur. Duo sunt omnino, quibus omnis Reipublicae salus maxime innititur, iisque sublatis, ipsa diu salua consistere nullo modo potest, religio scilicet et optimarum legum custodia. Quae quamuis optimae cuiusque ciuitatis statum constituere videantur,

antur, ad vrbem tamen Romam, veluti ceterarum omnium caput, ea duo potissimum pertinere nemo vnquam sanae mentis dubitauit. Cum enim amplissimam hanc Vrbem religionis Catholicae sedem esse ac domicilium voluerit Deus, vbi Romanus Pontifex tanquam in augustissimo Orbis theatro vicariam ipsius Dei personam apud homines gerens, Christiani totius imperii clauum teneret; illud necessario consequitur, vt ceterae gentes hinc leges ac iura petere debeant, et ad hanc ipsam Vrbem iam de religione, iam de aliis grauissimis rebus consulendi caussa ex omnibus fere terrarum partibus conuenire. Et quidem vbi plures simili splendore ac dignitate virorum sapientissimorum conuentus? Vbi maior iudiciorum frequentia atque amplitudo? Vbi tot curiis, tot iudicum collegiis hominum quasi exercitus distributus? Tanta vero iuris tum Ciuilis tum Pontificii scientia, tanta in legibus explicandis interpretandisque notitia ac facilitas, cui magis quam Leoni accepta referri debeat, non video. Nam si id, quod res est, fateri volumus, ipse fuit, qui in misera illa disciplinarum nocte atque caligine clarissima sapientiae lumina in hanc Vrbem inuexit. Ipse fuit, qui magnis propositis praemiis sapientissimos vtriusque iuris magistros inuitauit; atque operam dedit, vt non modo Romanae vrbis, sed Orbis propemodum vniuersi iuuentus Romae duces haberet peritissimos, qui in legibus, in senatusconsultis, in edictis praetorum, in decretis principum ac gentium iure intelligendo explicandoque viam ac rationem ostenderent. Ex quorum labore quotidiano atque industria quantum postea splendoris existimationisque huic Vrbi accesserit, aut quam vberem in dies fructum in caussis forensibus iudiciisque populus Romanus atque exterae nationes percipiant, cui tanta suppetit dicendi facultas, vt satis ac pro dignitate dicere possit? Quod si custodia legum, vt praeclare et grauiter inquit Euripides, ciuitates continet; ac iuris legumque neglectu florentissima et opulentissima orbis imperia funditus concidisse videmus: nonne populorum vindicem atque imperii instauratorem Leonem X. haberi ac dici oporteat, qui de legibus ac iure earum omnium gentium, quae a Romana Sede, religione, fide, et obseruantia pendent, tantopere laborauerit? Non est igitur, cur miremur, quod beneficentissimo principi statuam in Capitolio populus Romanus dedicaret, ab eoque restitutam instauratamque fuisse Vrbem insigni monumento profiteretur: cum potius mirandum esse videatur, cur ceterae quoque vrbes ac Christiani imperii prouinciae singulas eius nominis immortalitati statuas haudquaquam posuerint. Quandoquidem non Vrbem duntaxat, neque solam populi Romani vtilitatem spectat tanta cum disciplinarum ceterarum dignitas, tum iuris legumque auctoritas atque maiestas, sed eas omnes latitudine sua complectitur gentes, quas vt religione, ita legum societate cum hac ipsa Ecclesiastici imperii sede coniunctissimas esse oporteat.

At superest iam, vt quam breuissime longitudinem eius beneficentiae consectemur, cuius profundum hactenus aliquo pacto dimensi sumus ac latitudinem. Plurima quidem sunt, quae excurrunt in longitudinem, quaeque hoc vno longitudinis nomine, multiplici tamen ratione sub Geometriae regulam commode cadunt. Illud vero, quod haud postremo loco venit, et nunc ex re nostra potissimum esse videtur, est temporis longitudo ac mensura. Haec plane in definienda rerum natura tanti semper fuit, vt persaepe, quae minima esse videbantur, cum ad ea longitudo temporis accessisset, eadem et multa numero

mero et magnitudine maxima esse, sapientissimorum hominum iudicio, constitutum fuerit atque decretum. Quae sane iudicandi consuetudo apud iuris interpretes, tum apud prudentissimum quemque, cum iam sit veteri vsu recepta, quodnam esse poterit de hac Leonis beneficentia hominum iudicium, si longitudinis eius ratio atque vtilitas perpetuo mansura exploretur? Non iis tantum, qui tum erant, Pontifex sapientissimus, neque vnius aetatis commodo consultum esse voluit, sed posterorum tempora longissime prospiciens, de liberis vestris, de iis, qui adsunt, ingenuis adolescentibus anxius vehementer fuit ac solicitus. Qua vero singulari industria, quo consilio atque incredibili sapientia? Natura quidem ita comparatum est, vt vnusquisque maxime immortalitatis studio ducatur. Quoniam vero, vt grauiter ait M. Tullius, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit; tam breues viuendi terminos in posteritatis memoriam rebus praeclare gestis beneficiorumque magnitudine prorogandi insita nobis est ingens cupiditas, vt nimirum nisi spiritu vitae, nominis saltem immortalitate viuamus. At quotusquisque est, qui in posterum ita prouideat, vt pulcherrima beneficiorum suorum monumenta immortaliter viuant, neque vnquam situ iaceant, aut coeca obliuione inuoluantur? Haud raro res praeclare sapienterque a maioribus institutas fortunae casibus, aut posterorum languore et socordia perditum iri videmus, quod eae aduersus istiusmodi iniurias nullo satis praesidio firmatae fuerint aut communitae. Planius et apertius dicam: complures vetustiori aetate iam extiterant Romani Pontifices tam literarum, quam literatorum amantissimi, qui Romae etsi non omnium, aliquot tamen studiorum iecerant fundamenta. Instituerat Innocentius IV. Iuris Ciuilis et Canonici studium, cuius ipsum fuisse scientissimum, satis ea perspicuum faciunt, quae in Decretales Pontificum luculentissima edidit commentaria. Plures alias addiderat disciplinas Bonifacius VIII. vniuersorumque studiorum formam quandam in Vrbe praescripserat. Neque multo post doctos et in literis Hebraicis, Arabicis Chaldaeisque eruditos professores Clemens V. inuexit. Aliaque deinde alii. Quonam vero euentu? Nemo eorum, quo destinauerat, rem auspicato perduxit. Nemo literarium negotium ita firmauit, vt decursu temporis bonarum artium studia nullam vim pertimescerent, nullaque die ad interitum vergerent: cum ipsamet studia Leonis aetate iam adeo laborarent, adeoque profligata essent ac perdita, vt quasi ab inferis ea reuocari oportuerit.

Quid igitur Leo, vt opportune huiusmodi malo omnino praecluderet aditum, atque optime non de sua tantum, sed de posterorum quoque omnium memoria perennis beneficii longitudine promereretur? Singularem hominis prouidentiam ac diuinum prope consilium quaeso cognoscite. In medio ac frequentissimo Vrbis loco has, quas videmus, magnificentissimas ad caelum extollit aedes, quarum prospectus, impluuium, porticus, amplissimum peristylium ac cetera eiusmodi sunt, vt et laxitate et elegantia a bonarum artium dignitate minime abhorreant: digna profecto, quae aetate quoque nostra, tum illa immortalis memoriae foemina, Christina, Suecorum Regina, aspectu cohonestaret suo; tum etiam Alexander VII. Pontifex Maximus maiestate sua aliquando impleret. Quid postea? De Pontificio aerario Leo ipse haud exiguam vectigalium detrahit partem, vt bonarum artium magistri tam Romani Pontificis beneficentia, quam publica ciuitatis sumptu alerentur. Quorum alios insuper ab ipso ingentibus donis, alios honori-

 bus.

bus, alios etiam bene opulentis sacerdotiis auctos fuisse atque ornatos, Paulus Iouius commemorat. Tot praeterea leges sapientissimas addit, partim optimae studiorum rationi administrandae accommodatas, partim ad professorum eruditionem et disciplinam, partim etiam ad eos, quorum in fide ac patrocinio hanc esse voluit Academiam, spectantes; vt neque praestantius, neque praeclarius ciuitatis alicuius vtilitati aeternitatique caueri potuisset. Quod igitur, labente iam tertio ab hac studiorum instauratione saeculo, tanto semper floruerit concursu isthaec bonarum artium Respublica, tantaque professorum eius per omnem aetatem extiterit virtutis, integritatis ac sapientiae fama, vt ex his subselliis non modo innumeri ad sacras infulas, verum etiam ad purpurae dignitatem complures euecti fuerint, quod denique maior in dies hinc profectura sit studiorum existimatio ac nomen; nonne acceptum potissimum profiteri debemus singulari prouidentiae ac consilio ipsius Leonis, qui in eo totus fuit, vt beneficentiam hanc suam ad omnem posteritatis memoriam commoditatemque traduceret? O beneficentiam eius non modo latitudine magnam, verum etiam longitudine maximam! Dum clarissima haec Vrbs, dum haec moenia, dum populi Romani nomen erunt, immortali omnium memoria viuet laudatissimus Pontifex, non solum ob perennem contestatamque virtutum suarum famam, ob singularem in ornanda amplificandaque Vrbe magnificentiam, ob inuictam animi constantiam, pietatem ac religionem; sed eo potissimum nomine aeternitatem consequetur, quod tam populi Romani, quam exterarum gentium animos sibi summo perpetuoque beneficio deuinxerit. Non vberrimos tantum, sed iuges, sed sempiternos nobis disciplinarum reclusit fontes. Nouerat, quod conquisite scribit Seneca, illud maximum esse beneficium, quod semper ante oculos est, et obliuisci sui nunquam sinit, sed auctorem suum, vt ipse ait, ingerit semper et inculcat. Nouerat haud satis dari, etsi necessaria, vtilia ac iucunda darentur, si ea, quae dantur, mansura omnino non essent. Vt igitur magnum vndequaque in hac studiorum instauratione conferret nobis beneficium, non modo in eo profundum ac latitudinem, sed perennem etiam perpetuoque duraturam esse voluit longitudinem. Cuius quidem ingens et infinita propemodum mensura cum vix percipi cogitatione possit, nonne eam attentare, vt de caeli dimensione censuit Plinius, furor esse videretur? Nulla profecto vis hominum atque audacia, nullum tempus, nulla aetas, nulla poterit abolere vetustas tam praeclarum et immortale Leonis X. beneficium. Imo dum literae, dum Roma, dum Orbis erit, bonarum artium studia in amplissimo hoc Lyceo constanter perpetuoque florebunt.

Vtinam igitur mihi nunc tanta vis ingenii tantumque esset ab eloquentia praesidii, vt et Academiae huius vniuersae nomine, et populi Romani et gentium omnium vocibus eas tibi, Leo Pontifex sapientissime, immortales gratias agerem, quas tibimet, Archigymnasii huius statori, bonarum artium vindici ac literarum parenti beneficentissimo, quam maximas deberi, summo omnium consensu ac solenni religione, profitemur. Sed quoniam beneficiorum tuorum amplitudine non eloquentiam modo, sed Geometriae quoque mensuras superasse videris; hoc plane restat vnum, vt iam manus vltro demus; teque longius atque vlterius, quam quo dicendi facultas et inusitata quaelibet laudandi industria assequi valeat, beneficentiae magnitudine processisse, silentio fateamur.

DE

DE INFELICITATE ILLITERATORVM ORATIO IV.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS AN. MDCCXIV.

 Eminen.

Eminentissimo ac Reuerendissimo

IO. BAPTISTAE SPINVLAE

S. R. E. Presbytero Cardinali

CAMERARIO

PAVLINUS A S. IOSEPHO

SCHOLARVM PIARVM.

Si optimae artes, Romani huius Archigymnasii felices incolae, ipsae per se loqui possent, magnas profecto tibi gratias agerent, Cardinalis amplissime; ac nemini magis quam tibi acceptum profiterentur honorem, quem praeclaro tuo de se iudicio sibi maxime restitutum fuisse gratulantur. Cum enim, nescio quo malo literarum fato, contigisset, vt superiori aetate patrocinium Academiae huius fere apud eos esset Cardinales Camerarios, qui quemadmodum genere, ita solicitudine et cura ad sustinendum Ecclesiae imperium cum Romano Pontifice coniungebantur: inde fieri solebat, vt in tot tantisque illi versarentur negotiis, vt de hac literarum prouincia ne cogitare quidem possent; aut etiam si possent, in eo dignitatis fastigie positi Deorum illorum instar esse viderentur, quos magna curare, parua negligere M. Tullius existimauit. Ex qua quidem inanis patrocinii forma, quae quantaque deinde rem hanc literariam inuaserint mala, eo libentius praetermitto, quo magis iam latent neminem. At tandem aliquando, singulari Dei immortalis beneficio, factum est, vt cum amplissimo Camerarii munere, quod fidei summaeque tuae integritati Romanus Pontifex demandauit, haec quoque studiorum cura obueniret tibi, qui et de literis optime sentires, et earum patrocinium a dignitate tua abhorrere nunquam iudicares. Qua de re praeclarum satis tunc maxime dedisti argumentum, cum ad vetera patrocinii eiusdem iura auctoritatemque vindicandam, publicas etiam inimicitias literarum caussa suscipere minime dubitasti. In quo certe quanti amplitudinem huius loci faceres, tam aperte significasti, vt optimae artes ex hac tua erga se voluntate ac studio honorem sint incredibilem consequutae. Hinc enim peruersa illa, quae superiori memoria de cura Archigymnasii huius, tanquam de re minus graui, dissipata fuerat opinio; auctoritate tua atque iudicio refutata est omnino. Hinc labes illa ac macula, quae tot annos Academiae huius nomini insederat, per te deleta penitus fuit atque restincta. Hinc denique honestissimae disciplinae, quasi alumnae quaedam tuae ac familiares, animum erigere coeperunt pauloque liberius respirare. Quas igitur tibi, tanquam praeclarissimo dignitatis suae statori ac vindici, ingenuae artes immortales profitentur gratias, eas profecto Romani huius Lycei professores earundem

earundem nomine debent tibi, perpetuoque debebunt maximas. Horum itaque in numerum ego quoque, beneficio praeſertim tuo, nuper adſcriptus, quanquam aetate, loco et eruditione omnium poſtremus, in dignoſcendis tamen tuis erga nos meritis nemini inferior, eas Eloquentiae nomine gratias ago, quas maximas pro exiguis viribus meis poſſum. Pudet vero me haud poſſe aliquod tibi ſupra vulgarem conſuetudinem ingenii munus offerre, quod ſingulare ac perenne eſſet memoris animi mei monumentum. Etenim quod hanc orationem ex aliqua ſaltem grati animi ſignificatione nomini tuo inſcriptam voluerim, id mihi intercedit commune cum multis, qui iam antea hoc ipſum ſplendidiori fortaſſe eloquentiae apparatu praeſtiterunt. Quid igitur? Ab omni prorſus officii genere mihi diutius temperarem? Id neque obſeruantiae meae rationes, neque tua cum publica, tum etiam priuata in me beneficia patiebantur. Vnum itaque ſupereſt, vt nimirum non tam orationem hanc ipſam, quam oratoris ſtudium ac voluntatem ſpectatam habere maxime velis. Hinc enim fiet, vt hoc idem munus, quod ſi ex ſua, vel tua dignitate ſpectetur, perexiguum certe eſt ac prope nihil, ex magnitudine tamen animi multo maiora dare cupientis aeſtimatum, quid magnum, aut ſaltem aliquid eſſe videatur.

MIRATVS ſum ſaepe ac vehementer, quid eſſet, quod maiores noſtri, qui tam multa grauiter ſapienterque in eos ſtatuiſſent, a quibus aliqua ex parte rempublicam perturbari poſſe ſuſpicarentur, nulla tamen lege, nullo S. C. aut Praetoris edicto, ſingularem hominum illorum amentiam coercendam eſſe putauerint, qui cum acri ingenio ceterisque rebus, quibus literarum ſtudia aluntur, maxime abundent, in ſupinam nihilominus oſcitantemque ſocordiam aetatis florem perditiſſime abiiciunt. Non enim illud facile intelligebam, qua de cauſſa tot leges alioquin ſapientiſſimas, Corneliam, Iuliam, Aciliam, Calpurniam, Maniliam, Aeliam, Fuſiam aliasque complures conſtituiſſent, quibus ſaepenumero non tam malum, quam mali ſuſpicionem a republica dimouere conati fuerunt; nullam deinde cenſuiſſent in eos eſſe rogandam, quos optimis diſciplinis infenſos deſidiaeque deditos, reipublicae perniciosiſſimos eſſe ſummoque dedecori, nemo vnquam dubitauit. Neque vero maiores homines plane incredibili iudicio ac ſapientia ornatos, latere poterat, inertia nihil eſſe foedius, nihil humanarum diuinarumque rerum ignoratione periculoſius: cum probe perciperent, otio ali ſolere vitia, et frequentiſſime otium ipſum non modo priuatos homines, ſed et Reges, et beatas olim vrbes in interitum excidiumque traxiſſe. Haec aliaque id genus dum maturius animo reputarem, illud tandem mihi compertum eſt, iure optimo nullam in eiusmodi homines a maioribus latam fuiſſe legem, quod in eos iampridem non vnum, ſed multiplex ſupplicii genus a natura ipſa fuiſſet prouidentiſſime conſtitutum. Cum enim ex veteri quadam conſuetudine inſtitutoque naturae ita comparatum ſit, vt iidem apud omnes fere nationes inſigni turpitudine ac ſumma infamia laborent, cumque vitam omnino triſtem, aerumnoſam, curarum ac moleſtiae plenam et morti, vt ita dicam, propiorem, quam vitae ducere cogantur; bene ac ſapienter maiores nulla alia ſeueriori lege nulloque grauiori indicio in ipſos animaduerti poſſe putarunt. Decreueram itaque hodierno die ad inflammandos ſapientiae ſtudio iuuenum horum clariſſimorum animos non alia ratione vti, quam luctuoſum hoc ipſum, quod ignaui homines de ſe vbique terrarum

praebent, spectaculum exhibere. Hinc enim fore sperabam, vt honestissimi iuuenes infelicissimum illud viuendi genus quam maxime detestarentur, cui et nullam vnquam impunitatis spem esse, et summa gentium omnium inuidia conflagrare intelligerent. Nolui tamen per singulas orbis partes excurreret ac peregrinaretur oratio: nolui externa, aut longius petita conquireret, cum tam multa domi suppetant hominum inertissimorum supplicia. Sed vnum et quidem domesticum, quod multis fortasse leuissimum, mihi vero supplicium omnium maximum, quodque ceteris anteponendum esse videtur, in medio proponam; ita tamen, vt neque ab hodiernae celebritatis instituto abhorreat, neque a studiis vestris, iuuenes, alienum esse censeatur. Quod tum plane me facturum esse confido, si ea, qua potero, breuitate ostendam: nihil durius atque acerbius illiteratis hominibus posse contingere, quam quod Romae viuant. Quo quidem argumenti genere illud, quemadmodum spero, efficiam, vt qui summa frequentia adsunt optimi iuuenes, alieno supplicio deterriti, aut tempestiue totis viribus ad sapientiam incumbant, aut vltro sibi aliquando exulandum fugiendumque esse cognoscant ex hac pulcherrima Vrbe, in qua ignauis illiteratisque hominibus citra summam infamiam atque impune viuere minime liceat.

Atque vtinam mihi in hoc primo orationis aditu imitari fas esset factum Socr..s sapientissimum, qui, quo suorum animos ab iracundia longius abduceret, non grauiorem illi, qui forte irasceretur, mulctam irrogabat, nisi vt in speculo oris habitum vultumque ira furentem contemplaretur. Existimabat siquidem vir prudentissimus ad iram maxime detestandam vnumquemque satis commoueri posse, si oculis, quorum sensus esse solet acerrimus, turpitudinis eius speciem propositam habuisset. Vtinam igitur et nobis hodierno die haud dissimile speculum, in quo homines indocti sese intueri valerent, excogitandi elaborandique facultas tribueretur. In eo profecto illi quales se, Deus immortalis, conspicerent! Homines ne an pecudes dicam? Quandoquidem non Circaeo aliquo poculo, sed otio desidiaque imbuti tam longe ab omni humanitatis studio recesserunt, vt si id, quod reuera est, fateri volumus, non tam hominum, quam pecudum loco habendi esse videantur. Cum enim duo sint, per quae a ceteris animantibus vel maxime discernimur, ratio scilicet et oratio, quarum vtraque in eiusmodi hominibus rudis solet esse omnino atque inchoata; nondum plane inter sapientes constitutum est, plusne ad hominis, vel pecudis naturam accedant, licet inter ipsos ac pecudes haud multum interesse nemo vnquam sapiens dubitauerit. Quid vero pecudes eos mihi nominas? inquit Aristippus: lapides potiori iure censeri debent. Etenim siue in foro, siue in circo, aut quouis allo in loco sedeant, semper lapis super lapidem sedet. Parcius tamen multoque moderatius in insectanda istorum ignauia se gessisse videtur Cicero, qui inertissimum vnum ex hoc grege hominum Pisonem non lapidem, sed truncum aliquem ac stipitem pronunciauit. Quicquid vero sint istiusmodi homines, aut lapis, aut truncus, aequo animo esset ferendum, si ab omni hominum consortio remoti, in montibus inclusi, aut syluis abditi delitescerent. Eorum quippe naturae consentaneum prorsus videretur, vt qui literarum et humanitatis omnis expertes sint, non inter homines, sed inter feras commorarentur. At vero quod Romae, in vrbe scilicet omnium principe, atque in tanta sapientiae

tiae luce, homines, alioquin honesto loco nati versentur, atque ita versentur, vt neminem tam apertae eorum ignauiae fugere possit suspicio, quis adeo mentis est impos, qui id, quam turpe sit, minime videat? Vtinam tamen ipsi quoque aliquando hoc viderent explorateque cognoscerent. Profecto in abditissimo aliquo orbis angulo socordiae suae latibulum quaererent. Neque enim perexiguam in hac vrbe diem agere eos fineret pudor atque ignominia: sed quasi saxa haec ipsa ac rudera, quae certe plurimo eruditionis sensu informata sunt, in eorum pinguem reclamassent inertiam, hos penates, haec templa, atque haec moenia continuo fugerent, abirent, proficiscerentur. At quoniam vsque eo se ignorant, atque vrbis huius aspectu tantopere delectantur, maneant, si libet, Romae: imo etiam, si Diis placet, in literatorum hominum coetum sese haud raro immiscere audeant. Hoc enim nobis ad infamiam, qua ipsi in literatissima vrbe maxime flagrant, dignoscendam luculentius, percommode cadit. Quid vero inter viros, summa sapientia ac doctrina ornatos, agent istiusmodi homines in literis peregrini omnino atque hospites? Qua ratione inscitiam suam dissimulabunt tam callide, quin apud omnes ridicula capita censeantur? Tacebunt, credo. At praeterquam quod silentii huius importuni diuturnitas eos aperte nimis de ignauia sua coargueret, quid tandem est in honestissimo hominum conuentu, vbi de multiplici disciplinarum genere, de amoenioribus literis, de Historia, de Dialectica, de Geometria res sit, nihil respondere, nihil penitus dicere ac prorsus obmutescere, nisi reuera se truncum stipitemque inanimem venditare. At fortasse loquentur. Quid vero? Qua de re? De iis, opinor, optimis artibus, quarum non modo dignitatem, naturam ac partitiones ignorant, sed ne nomen quidem satis perceperunt? Recenti memoria factum quaeso cognoscite, cui nisi pro testimonio accederent complures viri grauissimi, de industria a nobis excogitatum confictumque esse videretur. Hominem in primis nobilem, sed in literis plane nouum, cum aliis plurimis, qui dignitate perinde ac doctrina eminebant, conuocauerat ad conuiuium vir in hac ciuitate primarius. Cumque epulae variis honestisque protraherentur sermonibus, accidit id, quod fere inter literatos viros solet accidere, vt mentio fieret de iis optimis artibus, quas vt libero homine dignas, ita maiores nostri liberales ac peculiari nomine bonas artes appellarunt. Has itaque Romae hoc quidem in tempore florentissimas esse partim contendebant, partim e contrario iacere, et iam quasi ad interitum vergere. Cumque opinionem pro se quisque suam qua ratione, qua exemplis confirmaret; homo ille insulsus, qui Philosophiam ne primoribus quidem labris attigerat, nec quantum discriminis inter liberales et mechanicas artes intercederet, vnquam audierat; miror, inquit, mehercule a quopiam in dubium vocari, num bonae artes Romae hac tempestate vigeant, in qua aurigandi studium magnopere vigere nemo est, qui dubitet. O singularem animi stuporem! O amentiam incredibilem! Quos risus tam leuem importunamque sententiam consequutos fuisse putatis? Excusari quidem facile poterat homo imperitus, si inter ingenuas ac nobiles disciplinas maxime posuisset architecturam ac pingendi sculpendique facultates, quas in Vrbe dudum, singulari Clementis XI beneficentia, restitutas ac praemiis auctas fuisse videmus. Enimuero inter liberales artes aurigandi peritiam extollere, cui risum non mo-

 ueat?

neat? In eo tamen, puto, deceptus fuit homo peracuti ingenii, quod complures in hac ciuitate vidiſſet principes viros aurigandi ſtudio tantopere delectari; et quod dolendum magis eſt, perſaepe in liberorum inſtitutione ad id magis incumbere, vt pueri bene ac nauiter equis inflectendis, aut ſonantis flagelli crepitu concitandis aſſueſcant, quam literis honeſtisque moribus informentur. Sed iam nimium multa de iis, quae fortaſſe per iocum, tum etiam ex induſtria ad conuiuii hilaritatem dicta fuiſſe videantur. Fac tamen de trita atque omnium ore peruulgata hiſtoria aliqua ſermo grauis omnino ac ſerius inciderit: quam inepta tibi ac minime conſentanea eiusmodi homines reſpondebunt? In eos tunc perbelle cadit Galeni illud: ſtulti ad cribrum. Quandoquidem indiſtincte nulloque iudicio aetates hominum ac tempora pertractantes, confundent Perſas ab Alexandro victos cum iisdem ſub Cyro rege victoribus: Catonem Cenſorium indiſcriminatim pro Vticenſi vſurpabunt, aut vnum etiam ex duobus conflabunt; vnoque verbo, quot dicta, totidem congerent anachronismos: niſi forte Alexandros, Cyros, Catones, aliaque huius generis celebratiſſima nomina audientes, tanquam ad ſibi ignotas prorſus ac barbaras voces, haereant. Quid vero ſi de vrbe aut prouincia aliqua, non ad Antipodas quidem poſita, ſed a nobis paulo remotiori inſtituatur oratio? In quot enormes impingent ſcopulos, quantisque locorum ſeſe implicabunt erroribus? Nam cum omni Geographiae lumine careant, haud raro fit, vt tam longe ab eo, quod propoſitum eſt, aberrent, vt ſi de Aſiae rebus agatur, iidem in America verſentur, ac de Mexico interrogati de Aethiopia reſpondeant. O miſeram plane atque infelicem illiteratorum hominum conditionem! Si taceant, vt elingues reprehenduntur; ſi loquantur, citra riſum et infamiam loqui minime poſſunt.

At vero non Romae tantum, dicet aliquis, ſed in multis quoque aliis ciuitatibus eadem manet id genus hominum irriſio idemque ſupplicium. Non eſt igitur, cur in ipſos Romae fingas ſingulare patibulum. Apud omnes fere populos, de literis optime meritos, haud diſſimiles ignauiae ſuae poenas perpendant, neceſſe eſt. Fac omnino ita eſſe: et quacunque in ciuitate ſint iſti literarum oſores, dedecore ignominiaque notentur. Nusquam tamen id magis aut frequentius, quam Romae contingere poſſe contendo. Quod quidem ne temere aut ex leui aliqua coniectura dictum eſſe videatur, vrbem Romam eiusque conditionem ex vberrimo, quo per omnem ferme aetatem ditata fuit, doctrinae cenſu mecum paulo accuratius penditote. Quanta hic ſemper hominum doctiſſimorum frequentia? Quanta poetarum, rhetorum, philoſophorum theologorumque primi ordinis multitudo? Quot clariſſima iurisprudentiae lumina? Vt in qua diſciplina alibi locorum vix vnus aut alter alicuius nominis reperitur, in ea Romae veluti multiplex ſeminarium exiſtat. Cum enim ad hanc Vrbem, Chriſtiani imperii caput, ex omnibus prope orbis partibus in diem confluant viri, ingenio acerrimi atque in omni diſciplinarum genere perpoliti, tanta hic eſt, ſemperque fuit ingeniorum vbertas, tanta literarum gloria ac dignitas, vt vel Athenis Roma doctrinae palmam eripuiſſe, vel Athenae Romam commigraſſe videantur. In hac igitur tanta ingeniorum luce tantoque concurſu ſapientum vbinam tarditatem atque animi ſui ſtuporem illiterati homines occultabunt? Amicitiamne aliquam familiaritatemque inire poterunt, in qua apud viros et dignitate et eruditione grauiſſimos minus offendant? Quod


Quod tandem vitae genus in Vrbe agent? In aula, opinor, Purpurati alicuius principis locum nobilitate aut gratia sibi comparabunt. Itane vero? Dicam plane, quod sentio. Reiicere ab se deberent omnino ignauos huiusmodi homines amplissimi Patres; et in hac re maxime, clarissima illa Romanae purpurae lumina, Bembos, Sadoletos, Contarenos, Campegios, Estenses, Borromaeos aliosque horum simillimos imitari, quorum sollicitudo in eo praecipue fuit, vt perhonorifica mercede proposita, nisi viros literis ac doctrina praestantissimos in suorum familiarium ordinem neminem cooptarent. Hinc enim esset et literis patrocinium et amplissimae dignitati ornamentum. Hinc nominis sui memoriam non cum vitae tempore dimitterent, sed cum omni posteritate adaequarent, ex literis suorum ac monumentis immortalitate donati. Sed non id agimus; vtque iam eo, vnde digressi sumus, redeamus: esto in aulam admittantur isti, non tam homines, quam hominum simulacra, vt saltem ipsimet aulae ornatum conferant statuarum more, aut earum arborum similes, quae multo foliorum tegmine ornatae ad hortorum amoenitatem conferuntur, cum nullos praeter ramos frondesque afferant fructus. Neque enim longe dissimilem in aula speciem prae se ferunt elegantes isti, bene capillati, vnguentis delibuti et ad omnes officiorum formulas prope facti. In hoc igitur officiorum regno beatam quidem pulchramque vitam sibi ducere videantur. An vero hic demum eorum stultitia immunitatem consequetur? Atqui non modo apud domesticos, sed apud exteros quoque, quibus saepe colloquantur, saepe agant necesse est, eos crebrius irrideri iocisque notari continget. Nam fieri nullo modo potest, vt in maxima hominum celebritate atque in oculis omnium viuant, nec in viros frequentissime incurrant, omni literarum studio ornatos, quos ne risum in se concitandi copiam faciant, nec libere alloqui poterunt, nec silentio dimittere. Quid igitur consilii capient infantissimi homines, vbi nomen atque existimationem suam in tam difficili loco versari videant? Quo ad euitandam huiusmodi infamiae labem se tandem vertent? An vltro sese ignaros, stupidos et humanitatis omnis expertes esse fateantur? Sed non erit plane, cur id de se fateantur? vel taciti nullo negotio agnoscentur. En quam scite eleganterque nobis ipsos describit et quasi digito demonstrat M. Tullius: homines, inquit, sine sensu, sine sapore, tardi, rudes, elingues.

At vero illiteratum esse, nulla sit prorsus infamia, nullum probrum, aut ignominia. Quin etiam literarum studia iis relinquantur, quibus aut nullus nobilitatis sit splendor, aut saltem perexiguum patrimonium. Qui vero claritatem generis atque opes a maioribus suis acceperunt, habent iam vnde prospere beateque viuant. Nullam igitur in hac splendidae vitae tranquillitate, etiam si in Vrbe viuant, ignorantiae suae poenam daturos esse putatis? Nequaquam profecto. Nisi forte nobis cum aliquo e Stoicorum secta res est, qui nihil eorum, quae prima mortales putant, curet, seque in eo diuitem satis beatumque praedicet, quod altra contempletur. Homines autem, apud quos et ratio et dignitas et existimatio, vel saltem humanitatis aliquis sensus valeat, quo ferent animo, iis Romae se videre posthabitos, quibuscum vel de generis antiquitate, vel de fumosis maiorum suorum imaginibus in contentionem venire pudori sibi maxime ducerent? Atqui ea semper fuit Romanorum Pontificum consuetudo, vt in largitione magistratuum, praeturarum, legatio-

num aliorumque munerum, non tam familiae, quam sapientiae rationem potissime haberent. Licet enim non semper in magistratu sit optimus, qui in academia fuerit princeps, raro tamen accidit, vt cum doctrinae praestantia minime coniungatur prudentia, grauitas, continentia, iustitia, fides aliaeque virtutes, quae quoddam habent cum ea commune vinculum et quasi cognatione quadam continentur. Praeterquam quod cuius optimarum artium cognitione careat animus, is qui poterit ciuibus iura describere, quid cuique tribuendum sit intelligere, dissidia ciuitatis componere, futura prospicere, et, quid in singulis rebus sit optimum facto, animaduertere? Excusauit valetudinem oculorum, cum designatus fuisset consul, T. Manlius Torquatus: neque, vt summum imperium susciperet, precibus aut vlla alia vi adigi potuit; quod rem indignam duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis indigeret. Cui vero ad omnia alieno iudicio alienoque ore vti necesse sit, eum nos ad ceteros gubernandos idoneum esse iudicabimus? Quae quidem singula in Ecclesiasticis muneribus, aut magistratibus haud minus esse attendenda, tam perspicuum omnibus esse arbitror, vt hac in re supernacaneum sit immorari diutius. Cum itaque Romae non ii digni honoribus esse iudicentur, qui genere, nobilitate opibusque maxime praestant, sed qui praeterea integritate vitae ac doctrina ad eos tanquam per gradus efferuntur; ecquis non videat, in hac ciuitate imperitis hominibus omnem ad dignitatem aditum esse interclusum? At enim huiusmodi homines forte sua contenti, nec de magistratu, nec de praetura solliciti, procul negotiis in otio placidissime acquiescunt. Sic opinor: isthaec nihil curant scilicet. Nae vehementer errant, qui de cupiditate istorum hominum et ambitione tam religiose iudicant. Nemo ipsis in quaerendo honore ambitiosior, nemo in petitione audacior, nemo in contentione importunior. Nullum enim inscitiae propius coniunctiusque solet esse malum, quam arrogantia. Quod reuera hinc proficisci crediderim, quod cum notae istius homines se prorsus ignorent, nec quantum inter viros optimis artibus expolitos et aliorum vulgus intersit, comprehendant, secum iniquius agi putant, nisi a Principe ratio sui primum habeatur, ceterisque omnibus in partitione prouinciarum praeferantur. Ac proinde ex alienae dignitatis splendore ad offensionem inuidiamque commoti clamitant, conqueruntur; quodque suis nequeunt consequi in rempublicam meritis, id vi et clamoribus extorquere conantur. Hoc autem ipsis si bene fausteque eueniret, quae mala, per Deum immortalem, rebus cum humanis, tum diuinis metuenda non essent? Quandoquidem praereptis doctrinae praemiis, iisque temere ab ignorantia occupatis, iam de doctrina ipsa, de virtute, tum etiam de religione actum esset omnino. At singulari Dei Opt. Max. beneficio nihil est in praesentia, quod suspicionem nobis hanc moueat. Imo vero certis iam rebus diuturnoque temporis experimento exploratissimum nobis est de voluntate Principis, qui meritorum ratione satis superque perspecta, neminem nisi merentem extollit. Videant itaque, nec sine ingenti dolore videant ignaui isti, Romae probis et eruditis hominibus aditum ad dignitatem patere amplissimum, seque vnos magno cum dedecore atque contemptu repelli. Videant inferioris ordinis homines non modo haud mediocres opes doctrina sibi comparasse, sed ad summos quoque apices ea duce sibimet iter feliciter complanasse: se vero in ciuitate primarios nulla

nulla dignitate ornatos nulloque imperio praeditos inter postremos ac despicatissimos agere. Videant denique sapientes magnam ab omnibus inire gratiam, et auctoritate plurimum valere, indoctos vero vbique gentium explodi, apud omnes labe atque ignominia conflagrare. Haec aliaque plura cum videant, nisi spiritu vitae careant, omnique sensu destituti sint, tam incredibilem animi dolorem inde capiant necesse est, vt Romae esse supplicium sibi perpetuum sit multoque grauissimum. Exeant igitur hinc potius, abeant, proficiscantur; seque non minus ab hac molestia, quam Vrbem ab istiusmodi colluuie liberent. Neque enim secus ab aegritudine ista vacaturos puto, nisi se procul ab his tectis, foro, templis moenibusque proripiant; atque eo tandem se conferant, quo nec literarum nomen, nec praestantissimae huius ciuitatis fama peruaserit.

Sed omittamus aliquando inertissimos homines, eosque ignauiae suae poenitere, ac magnitudine doloris opprimi relinquamus. Dicendi tamen finem non faciam, quin prius vobis, optimi iuuenes, conditionem vestram, qua maxima possum voce, summopere gratuler. Vos enim iam iter illud ingressos fuisse video, quod ad immortalitatem nominis laudemque sempiternam maxime peruium esse solet atque expeditum. Neque enim vereor, ne ex hac vestra discendi cupiditate studioque sapientiae singulari tantum vobis accessurum sit dignitatis, quantum infamiae ac turpitudinis illiteratis hominibus ex eorum ignauia aspergi solere intellexistis. Pergite itaque, qua coepistis, animorum alacritate, diligentia atque industria; et frequenter vobiscum in ea Vrbe vos esse perpendite, quam, quemadmodum virtutis sedem, bonarum artium officinam ac domicilium gloriae gentes omnes vno consensu confitentur, ita molestissimum in ea ipsa solent supplicium ignaui homines experiri. Ac proinde si vos id, quod maxime debet, pulcherrimae Vrbis huius maiestas ac summa amplitudo delectat, in eam studiorum rationem diligeuter incumbite, quae a laude ac celebritate Romani nominis nihil vnquam abhorreat. Quamobrem primo sapientissimi Pontificis Clementis XI. summam eruditionem cum singulari virtute coniunctam, deinde ceterorum clarissimorum hominum, qui dignitatem Vrbis magna sapientiae fama sustinent, exempla vobis proponite. Horum labores intueamini, horum de gloria dies noctesque cogitate, et ad eam exaequandam omnes ingenii neruos contendite. Hoc autem quo facilius consequamini, habetis in hoc Romano Archigymnasio publice constitutos eruditissimos homines, qui vobis in hoc itinere duces optimi esse possint: quorum labori quotidiano ac diligentiae vt pari respondeatis industria, certe vos non tam oratio mea, quam dignitas vestra, nomen atque existimatio cumulatius cohortantur.



DE

DE
FORENSI
LATINITATE EXPVRGANDA
ORATIO V.
HABITA KALENDIS DECEMBRIS
AN. MDCCXVI.

Amplissimis XII. Viris
SACRAE CONSISTORIALIS AVLAE
ADVOCATIS
ET
Archigymnasii Romanae Sapientiae
RECTORIBVS,

IOANNI FRANCISCO FAGNANO DECANO.
ALEXANDRO CASALIO.
ANTONIO FELICIANO MONTECATINO.
DESIDERIO SPRETO.
IACOBO SARDINIO,
PROSPERO LAMBERTINO
RECTORI DEPVT.
FERDINANDO DE VALENTIBVS.
PETRO POMPONIO DE VECCHIS.
CAROLO MARIAE SACRIPANTI.
ANTONIO SERLVPIO.
BONIFACIO SPRETO COADIVT.

PAVLINVS A S. IOSEPHO
SCHOLARVM PIARVM.

Illu-

Illustrissimi et Reuerendissimi Domini.

CVM ego semper de amplissimo Collegio vestro tam praeclare senserim, quam qui maxime, haud certe mirari debetis, si oratio haec mea in lucem exeat, vestro potissimum nomine commendata. Vnde enim mihi praesidium magis firmum contra sermones et voculas maleuolorum, quaecunque futurae sint, quam a singulari vestra sapientia, grauitate, consilio atque auctoritate? Nemo sane quicquam poterit de instituto ipsius orationis detrahere, aut aliqua ex parte reprehendere, quin politam quoque ac latinam scribendi rationem, quam in vobis prae ceteris suspicimus, reprehendat. Ego equidem non ignorabam, difficile omnino esse, vt vir sanctissimus Hieronymus ait, semum mutare linguam. Sed argumenti hoc genus idcirco maxime scripsi, vt forensi iuuentuti consulerem, eique stimulos admouerem, vt vix e carceribus prope dicam emissa statim optimo sermoni assuesceret, et quantum fieri possit, ab intolerabili illa dicendi barbarie resiliret. Id quod etiam in caussa fuit, cur mihi persuaderi potuerit, vt haec ipsa oratio typis edita peruulgaretur. Nam quod munus Reipublicae, inquit Cicero lib. 2. de Diuin. afferre maius meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? Dubitari autem vix potest, quin inde consequuturus sit fructus minime poenitendus, si adolescentes nostrae ciuitatis vestro perquam sapienti iudicio, tum etiam, quod magis est, exemplo, hoc ipsum orationis propositum probari intelligant. Vos ergo, qui in altiori isto dignitatis gradu collocati iuuentutem ipsam forensi disciplinae addictam studio laudis et virtutis inflammare debetis, libentibus gratiisque animis argumentum huiusmodi excipite. Quod quidem vim, quam ad suadendum ab ingenii mei tenuitate habere non potuit, longe maiorem, vt spero, ab auctoritate vestra obtinebit.

NON ignorabam profecto, si de latinae linguae barbarie, quae iampridem forum occupauit, ea libere dixissem, quae quidem dicenda esse videntur, permultos fore, qui me laboremque meum pro dignitate ipsius fori, tum etiam pro communi nostrae ciuitatis bono susceptum reprehenderent. Satis enim intelligebam, quod etsi res tota, de qua agerem, a nemine vocari posset in dubium, eorum tamen, qui impolitam illam scribendi rationem publice defendunt, tantam fere vbique esse frequentiam auctoritatemque, vt si ex aduerso stetissem, quasi contra fluuium ire voluisse viderer. Itaque non immerito suspicabar, propter dissipatam adeo in vulgus ea de re opinionem me vim nullam in dicendo esse habiturum; nec profuturum magis, quam si surdis, vt aiunt, scopulis canerem. Illud quoque me vehementer vrgebat, vix fieri posse, vt res tam caute moderateque pertractaretur, quin magnam fori subirem inuidiam; cum multi hoc ipso argumenti genere quasi actionem quandam in se constitutam fuisse putarent: proinde minime defuturos, qui me nisi temeritatis, at imprudentiae certe coarguerent, quod eiusmodi genus hominum maxime morosum et irritabile nulla neque priuatim, neque publice laesus iniuria lacessissem, quorum nec dignitatem ignorare, nec sapientiam aspernari debuerim. Quae quidem singula quanquam me commouerent plurimum, et ne impeditam adeo dicendi prouinciam susciperem, etiam atque etiam deterrerent; vicit tamen omnem siue metum, siue pudorem, mihi natura attributum,

tributum, incredibilis animi dolor, quo carere non poteram, cum viderem in hac tanta literarum luce tantaque disciplinarum omnium cultura fere neminem esse, qui de veteri splendore ciuili scientiae restituendo cogitaret. Dolebam igitur et acerbe ferebam, venerandam legum maiestatem non modo ab antiqua illa dignitate desciuisse, sed etiam partim hominum imperitorum ignorantia, partim maleuolorum pertinacia, partim quoque quorundam culpa, qui populares esse aut videri volunt, in diem ita deprimi, vt pristini vestigium nitoris in ea iam plane nullum recognoscas. Quamobrem contemptis, quicunque de me tandem futuri essent, hominum istiusmodi sermonibus, constitui eam hodierno die de stylo forensi orationem habere, vnde et lectionum mearum auspicium esset, et honestissimi iuuenes, qui ad amplissimam Iuris facultatem in hoc Romanae Sapientiae Gymnasio daturi sunt operam, tempestiue intelligerent, quantum de dignitate fori gloriaque Iurisprudentiae detrahant, qui in iudicialibus caussis emendatam scribendi rationem minimi putant. Quocirca etsi non ignoro, me mihi plus oneris, quam re uera ferre possim, imposuisse, si non modo rem vniuersam ac penitus, sed ex parte complecti voluero; illud tamen, quod animum releuat meum, est iucundissimus iste hominum sapientissimorum conspectus, ex quorum auctoritate praesidium satis firmum mihi fore confido. Multos enim adesse video, tum summo ingenio ac doctrina, tum a forensi vsu atque exercitatione maxime commendatos, quibus lutulentam eiusmodi dictionem non solum non probari, sed ab eisdem vix magno cum stomacho eam tolerari, certo scio. Quorum quidem iudicium, si qua in parte vel orationi meae robur, vel susceptae caussae deerit patrocinium, instar teli mihi erit, qno et aduersariorum audaciam exultantem reprimere, et ciuilis scientiae dignitatem sustinere conabor.

Animaduerti autem, fore mihi in hac caussa cum duplici hominum genere negotium. Quorum alii ea sunt austeritate ingenii, vel odio in optimas disciplinas, vt in foro non aliam omnino dictionem, nisi insuauem illam, rudem ac semilatinam vsurpari oportere contendant. Alii vero etsi in ceteris rebus munditia sermonis delectantur plurimum, in caussis tamen id aut minus necessarium putant, aut de industria negligunt, ne fortasse delicatiores esse videantur. Quibus vt ordine vtrisque respondeam; vos primum appello, seueri legum interpretes, qui caput in foro neminem extollere posse censetis, qui literarum elegantia studioque bonarum artium teneatur. Quam tandem iuris regulam, quaenam edicta praetorum, aut Caesarum scripto sanctionem in medium afferetis, qua quidem caueatur, ne quis in iure dicundo vtatur verbis propriis, significantibus, et ab eorum, qui latine loquuntur, consuetudine non abhorrentibus? Contra ego nullo negotio vobis planum facere potero, castitatem sermonis dicendique proprietatem, non modo ab vsu forensi alienam non esse, sed summis auctoritatibus diuturnaque temporis praescriptione eam ipsam quodammodo praecipi atque mandari? Nam quis ignorat, e quonam fonte ad nos primum defluxerit vniuersa Romani iuris scientia? Nonne de summa virorum doctissimorum sapientia, qui XII. Tabularum interpretationi ea doctrinae laude praeerant, vt eorum domus, vt ait M. Cicero, haberetur veluti totius oraculum ciuitatis? Imo apud omnes in eam existimationem ac sapientiae famam venerant, vt, cum a Graecis primo, tum deinde a populo Romano

mano non alio quidem nomine, quam Sapientes appellarentur. Quis igitur sibi persuadeat, eius ordinis homines inde in vulgus tam praeclarum nomen fuisse assequutos, quod de iure rusticana ac plane inculta oratione populo responderent? Aliud profecto fuit hominum Graecorum ingenium. Nae amabant illi politam dicendi rationem: oblectabantur maxime suauitate sermonis. Proinde Homerus haud visum iri putauit Nestorem summae prudentiae virum, neque Vlyssem, maximum imperatorem, nisi singularem vtrique in dicendo laudem tribuisset. Quid vero de populo Romano? Cui sane emendatum scribendi genus ita placuisse accepimus, vt quos complures ediderat de Iurisprudentia libros C. Trebatius, eques Romanus, homo tum M. Tullii familiaritate, tum etiam C. Caesaris consuetudine atque amicitia celebratissimus, minimi fecerit, quod non admodum eleganter conscripti fuissent. Neque probanit magis, quae Q. Aelius Tubero de publico et priuato iure acute et subtiliter scripsit, quod nonnihil vetustiora et fere obsoleta verba affectauerat. Contra vero quanto honore sunt habiti Publ. Scaeuola, Q Mutius, Gallus Aquilius, L. Crassus, Ser. Sulpicius, M. Cicero aliique plurimi, qui ad iuris ciuilis scientiam non modo summam eruditionem, sed etiam verborum delectum mirumque latinitatis candorem adiunxerant? An vero quod nobiliori stylo aç ratione minus vulgari scriberent, idcirco aliquid de dignitate iuris eos detraxisse, quisquam sanae mentis indicauit? Atqui illud de Ser. Sulpicio, vt ceteros missos faciam, proditum est memoriae, eum latinae linguae studium tantopere coluisse, vt quandoque M. Varronem de germana vocabulorum significatione non secus quam de summo negotio consuleret.

At enim aurea fuerunt ista latinitatis tempora, quibus Romae non modo curia et fornm, sed theatrum, sed balneae, sed popinae quoque ipsae multo sane felicius, quam nos, latine et intelligebant et loquebantur. Neque illos aetatem plurimam, vt nunc nobis vsu venit, ad vnius linguae notitiam traducere necesse erat, sed elegantiores dicendi modos de nutricum sinu cum lacte prope ipso accipiebant. Mirum itaque videri non debet, si id temporis; quando scilicet non tam praeclarum erat, vt ipse Cicero ait, scire latine, quam turpe nescire, homines summo loco ingenioque ad iuris, quod profitebantur, intelligentiam singularem pariter sermonis elegantiam adiungerent. Fac ita esse omnino. Neque enim me longius oratione abduci patiar, vt doceam, non eam omnem, qua illi tantopere praestabant, dicendi laudem ita fuisse natura partam, vt diligentiae ac labori locus haudquaquam fuerit. Satis sit, quod hac de re Quinctilianus copiose ornateque disseruit. Sed antequam respondeam, illud monendos vos esse video, veteres illos, quos nominaui paulo ante, viros eloquentissimos iurisque peritissimos me non idcirco in medio proposuisse, vt ad eorum amplitudinem homines nostros effingerem proxime, aut vndique conformarem. Illos enim singulos, vt de vno M. Tullio Plinius pronunciauit, extra omnem ingenii aleam positos esse, perspicuum est. Sed vt petita a vetustissima iuris origine sapientissimorum eiusmodi virorum exempla os tandem occluderent iis, qui palam dictitant, forensem hominem a studio et elegantia literarum alienum esse oportere. Age vero, occasum interitumque suum Romanae linguae splendor obierit; et aureum illud latinitatis saeculum aetas deinde ferro deterior longeque corruptissima con-

fequuta fuerit. Verum in hac ipfa literarum caligine, quonam quaefo fcribendi genere in iudiciis homines vfos fuiffe putatis? Dicendine rationem puram et emendatam vfurpaffe, an vitiofam, an fordidam, de triuiis hauftam et plebeculae mores olentem? Equidem fi maturius id, quod res eft, perpendamus, facile quidem erit comprehendere, tunc fumma dicendi proprietate maximoque verborum ornatu, de vniuerfo Romanorum iure confcripfiffe et Caios et Paulos et Vlpianos et Papinianos et Tribonianos aliosque complures, qui per eam aetatem, intermortua iam prope omni latini fermonis luce, fe forenfi operae addixerant; vt eos certe, non mediocris notae fcriptores, fed omni literarum praefidio bene munitos fuiffe dubitari nullo modo poffit. Quantam enim effe conftat venuftatem orationis atque elegantiam, quam fane continent Pandectae, Codices, Inftitutiones Nouellaeque Conftitutiones, et fi quae alia funt ab ipfis digefta de vniuerfo ciuili iure volumina? Quamobrem Laurentius Valla, Romanorum omnium fcriptorum cenfor acerrimus, non modo eos cenforia illa virgula fua mulctare aufus non fuit, fed etiam libere fatetur, fe quidem perlegiffe quinquaginta Digeftorum libros, ex plerisque iure confultorum voluminibus excerptos, et relegiffe cum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum quod nefcias, inquit, vtrum diligentiane an grauitas, prudentia an aequitas, fcientia rerum an omnis dignitas praeftet, et maiori laude digna effe videatur. Deinde quod haec ipfa ita in vnoquoque illorum omnia egregia funt et perfecta, vt vehementer dubitari poffit, cui quis fit praeferendus. His autem nihil eft, ait, mea fententia, quod addi adimiue poffe videatur tam eloquentiae, quam latinitatis et elegantiae, fine qua caeca omnis doctrina eft et illiberalis praefertim in iure ciuili. Quid planius, quid fapientius, aut quid accommodatius dici poterat ad iugulandam omnino hominum noftrorum audaciam? Quid? negabuntne, illos fummam in foro laudem fuiffe affequutos, vel eo dicendi genere forenfis officii muneri non vndique fatisfeciffe? Hoc autem praeterquam quod dignitatem eorum ipforum, quorum ifti fefe interpretes effe et dici volunt, et quorum auctoritatem in iudiciis non minus quam aras et focos tuentur, magnopere offenderet, longe alia certe fuit femper, quam fapientiffimus quisque habuit de talibus viris, opinio. Illos quippe clariffima iurisprudentiae lumina, ornamenta legum, iudiciorum propugnacula et humanae focietatis firmamentum appellant Antonius Faber, Balduinus, Cuiacius aliique plures. Imo Balduinus ipfe, homo perquam acri ingenio; nec poftrema apud eos, qui in foro verfantur, auctoritate, in commentariis fuis, quibus inftitutiones iuris ornauit, illud primo loco admonet, vt fingularem Dei Opt. Max. prouidentiam fufpiciamus, qui quemadmodum olim eos fempiternae memoriae viros Iofephum in Aegypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Lacaedemone Lycurgum aliosque alibi, ita poftea Romae Papinianum ad conferuandam humanam focietatem et iuftitiae fplendorem excitauerit.

At mutata eft iam, inquiunt, omnis illa vetus iudiciorum ratio. Defciuit ab elegantia orationis ad formularum quarundam anguftias pompa illa forenfis; neque nunc vt olim in fubfelliis eloquentia dominatur, fed iura. Habeant igitur veluti fundum fuum grammatici et verborum cenfum et opes elegantiarum. Nos quidem non de verbis, fed de patrimoniis, non de nominibus, fed de legatis,

de venditione bonorum, de successionibus iure nostro agemus. Illi se politos dicendi magistros de Ciceronis schola euasisse, et omnes lepores, Tulliana omnia myrothecia consumsisse glorientur. Praeclarum satis quid nobis esse videbimur, si multo labore multisque vigiliis contigerit nos haud longissime abesse ab Accursii, a Bartoli, aut Baldi gloria, qui tamen grammaticorum iudicio gothice magis quam latine scripserunt. Rerum sane, non verborum nos vrgeat oportet solicitudo. Neque decet caussidicorum sermonem rebus tam grauibus occupatum iuncturis et quasi syllabarum numero insistere; vnoque verbo, sic a nobis de iure scribendum, vt nec diligentiori vocabulorum studio iudicum torqueantur ingenia; neque sit, qui sensum omnem orationis nostrae liberius et sine artificio excurrentis non probe omnino percipiat. O acutam excusationem! O defensionem singularem! Enimuero id primum libere dico, eos frustra conari praeclara illa Bartolorum ac Baldorum nomina quasi murum nobis opponere, vt ex tam magnis auctoritatibus habeant firmissimum inertiae suae propugnaculum. Excusant quippe illos tum etiam alios ipsamet tempora, quibus non modo omnis latina lingua intercideerat, sed quod magis dolendum, quodque omnes deplorant eius aetatis historiae, talis peruaserat in omnium animos stupor, talis dementia obliuioque literarum, vt de iis temporibus nihil omnino extet hominum memoria dignum. Quapropter in summis de eo genere viris, qui certe in ciuili scientia sunt longe omnium principes, si sermo rudis et gothicus, si historiarum literarumque ignorantia deprehendatur, condonanda profecto sunt illis, pro temporis ipsius ratione: cum praesertim istiusmodi errores pura exactaque Romani iuris notitia, quamdiu sepultam nobis immenso labore restituerunt, cumulatissime compensauerint. Quaenam itaque, malum, est ista amentia, in tanta nunc literarum luce, gothicam eius saeculi barbariem pugnacissime tueri velle, quam reuera Bartolus ipse si reuiuisceret, iam omnino detestaretur summoque studio expurgaret? Et sane quid est, quod teterrimum illud loquendi genus minime sibi retinendum fore putauerint, quotquot proxime consequenti aetate, pari iudicio, acumine ingenii et singulari industria de ciuili iure scripsere? Imo vero quid purius, quid luculentius, quid suauius ea oratione, qua quidem vsi sunt viri illi ciuilis scientiae consultissimi, Alciatus, Pancirollus, Goueanus, Cuiacius, Budaeus, Duarenus, Tiraquellus, Contius, Hotomannus, Brissonius aliique complures, qui ad ius Romanum exornandum tantam literarum vbertatem attulerunt, vt ex eorum vigiliis maximum eidem accesserit ornamentum? In hos profecto solertissimos et quasi maiorum gentium doctores intueri, hos sibi duces proponere homines nostri deberent; non autem ignauiae suae ab eo praesidium quaerere, quod temporum potius quam hominum culpae tribuendum esse videtur.

At multo vehementius commouet me, quod aiunt, in foro non verborum, sed rerum habendam esse solicitudinem. Itane nos amentes, aut imperitos iudicant, vt minime intelligamus, qualis rerum, qualis verborum debeat apud ipsos esse solicitudo? Non aequalem vtramque contendo. At nego, alterutram posse negligi. Cum enim omne ius aut in verborum interpretatione, aut aequi prauique discrimine positum sit, quotus quisque non videt, quantum momenti habeat verborum sensus et optima vocum ipsarum intelligentia? Sunt tibi res pecuniaeque nostrae cu-

rae atque solicitudini. Esto: at voces, quibus res ipsae continentur, earumque sunt indices, minimi putas? Non illum ego mehercule optimum statuerim imperatorem, cui sane certamina, aut obsessio murorum maxime cordi essent, interea vero nulla de commeatu, nulla de delectu militum cura teneretur. Quoties autem praepostere concepta verba impedimento sunt, quo minus difficillimae quaestionis nodus praecidatur, quae diu et altercantium fortunas et iudicum ingenia torsit? Dicet aliquis: huic etiam incommodo bene ac sapienter maiores nostri consuluerunt. Complura per eorum manus volumina accepimus, in quibus singula, quae propria sunt iuris, vocabula enucleate distincteque adnotarunt. Ex his statim intelligas, quid peculium, quid tutela, quid familia, quid vsucapio et huius generis alia fere infinita. Habeant itaque sibi suas grammatici voces, suas ad caelum efferant etymologias, non hercle inuidemus. Homines, vt video, acuti rem plane confectam putant. Non ita tamen olim sapientiores illi legum interpretes de hoc nogotio iudicarunt. Praestantiorem longe aliam de minimo isto grammaticorum regno opinionem habebant. Quandoquidem non ea duntaxat, quae ad ius ciuile pertinerent, vocabula explorari oportere censebant, sed crebras quoque inter se quaestiones de proprietate latinarum vocum earumque primaeua significatione agitabant. Hinc ab iisdem mira quadam ingenii subtilitate quaesitum, quid vitium differret et morbus, quid hostis apud veteres significaret, quid manubiae, quid fundus, quid municipium aliaque fere innumera, quae ab A. Gellio, tum ab Andrea Alciato et Gulielmo Budaeo elegantissime recensentur. Ex huiusmodi enim notitia futurum fuisse putabant, vt Romano iuri et lumen et ornamentum accederet.

Atqui relicta vulgi barbarie, si politum dicendi genus prosequeremur, paucissimi iam nostra intelligerent. Quid si ad forensem vsum non contortam et acrem orationem postulo, quae Tullianam amplitudinem exprimat, aut neruosam Sallustii breuitatem, nec quae Taciti aculeos emittat; talem vero, vt accurata tametsi et distincta, plana tamen, inaffectata, aequabilis et sine fastu fluat? Estne quisquam tam plumbeus, aut sic ab humano sensu alienus, qui lectionem huiusmodi non longe facilius perciperet, quam indigestam illam, confusam, desultoriam aut etiam, si Diis placet, soloecismis compluribus aspersam? Quae quidem quam absurda plerumque sit, vel illud argumento esse poterit, ingenuos quosdam, quos ego noui, optimo ingenio adolescentes, qui legum facultati summa spe ac voluntate nomen dederant, haud multo post perterrefactos ab ipsis barbarorum castris aufugisse. Cum enim, vt mihi narrabant, Ciceronis, Caesaris, Terentii aliorumque his similium libris ab ineunte fere aetate educati, latinitatis illius candore ac perspicuitate mirum in modum tenerentur, tam inconditas deinde atque horridas causidicorum ductorum suorum voces diutius ferre minime potuerant: ad quas sane intelligendas nouam sibi, vt dicebant, grammaticam, nouos commentarios conquirere necesse erat. At nemini sese obscuros in dicendo fieri velle dictitant. Optime est. Cur tamen ea pariunt verborum monstra, quae necessario rebus obscuritatem, non lumen afferant? Illud potius nobis persuadeant, se operam dare, vt extra forum a nemine queant intelligi, haud valde dissentiam. Possem equidem hoc loco forensem aliquam ex ista scoria paginam in medium afferre, quae plus nimio fortas-

fis orationi meae fidem faceret. Sed cum diebus fingulis in omnium ferme oculis fcriptiones de hoc genere verfentur, non eft, cur rem ipfam, quae nonnihil inuidiae et offenfionis habere videtur, verbis pluribus agam. Venio itaque ad argumentum officiorum et obferuantiae plenum. Verentur nimirum, ne elegantius fcribendo iudices, homines quidem plurimum occupatos, moleftia afficiant. Proh Deum immortalem! vbinam gentium fumus, vt indicem talis ftultitiae vocem audiamus? Elegantiane fermonis fatietatem affert, quisquiliae vero delicias et voluptatem? Delectat, credo, iudices ipfos ficcitas illa et puerilis quaedam dicendi infulfitas, in qua cum prope nihil exiltat, quod non obfcurum, aut alieniffimo loco fit pofitum, neceffe eft plane de auctoris fententia diuinare. Delectat ipfos videlicet oratio non fimplici puroque ftylo compofita, fed verbofa, fed tumultuaria, fed leuibus minimisque rebus redundans. En quam praeclare fentiant de ingenio ftudiisque ipforum iudicum hominum fapientiffimorum, quos quidem aut in literis hofpites omnino iudicant, aut fic in illas infeftos, vt teterrimum verborum paedorem fincera electaque dictione iucundiorem ipfis fore arbitrentur. Percommode tamen in eos cadit iniqua eiusmodi opinio atque iniuria. Haud immerito luunt (dicam magis aperte id, quod fentio) indulgentiae fuae poenas. Nam quoties fibi illepida ifta ac perturbata afferuntur, ad quorum ambages expediendas eft non minus quam labyrinthum Cretenfem ingreffis laborandum, quid eft per Deum immortalem! quod eadem omnino ab fe non reiiciant, et ad Orbilii ferulam tam malos grammaticos non dimittant?

At quaerunt, quo pacto fieri poffit, vt id temporis aliter in foro quis fcribat; cum talis fcribendi ratio fit iam omnium vfitatiffima, cum vbique confuetudinis ius quoddam obtineat, cum poftremo non fecus hodie plerique omnes faciant. Mente iam recreor, quod aliquid tandem in medium attulerint, quod non leue omnino videatur. Excufandi funt plane: communi quodam vfu et neceffitate peccant, non animo ac voluntate. Inurbane fcilicet impoliteque fcribunt, quia nefciunt elegantius. Parcius autem vellem nobis de confuetudine verba facerent. Quis enim eft tam mediocriter in re forenfi verfatus, qui non intelligat, quam tenue fit et infirmum, quod ab ipfa confuetudine petitur, argumentum? Multa fane conueniant neceffe eft, vt aliquid illa valeat. Quod fi forte fuerit varietate temporum interrupta, neque apud omnes ita recepta, quin in contrariam quoque partem aduerfentur multa, vim habet tum mehercule nullam. Cum itaque iuris fcientia ab ipfa originis fuae vetuftate fuerit femper, vt fatis iam vidimus, cum omni literarum genere coniunctiffima: cumque extiterint viri grauiffimi atque omni laude digni, qui, vix reuerfis poftliminio optimis difciplinis, in expurgando ftatim, ornandoque Romano iure magnopere defudarunt, cum denique per hanc aetatem videamus, quod in hac ipfa Vrbe homines fummo ingenio et grauitate praediti humanitatis ftudia ad legum exercitationem adhibent; fruftra nobis vfum gentium communem obiiciunt, et confuetudinem iftam antiquitate venerandam tantopere praedicant. Sed plerique non longe fecus fcribunt. O praeclaram defenfionem! Quid? multitudinis exemplum, quod quidem Seneca omnium peffimum pronunciauit argumentum, praefidio fibi effe volunt? Enimuero indigna femper vifa fuit optimo quoque viro vox iftiusmodi atque confilium. Ponderanda funt hominum iudicia,

 non

non autem numeranda. Esto, pauci sint per hos dies, qui literarum latinarum studium ad forensem vsum traducant: nonne horum paucissimorum iudicium, virtus, grauitas et sapientia pluris apud te esse debeant, quam ceterorum omnium plurimorum barbaries atque infamia? Neque enim negare quis poterit, quin hi pauci multorum sint instar imperatorum, qui primos in foro ordines ducunt: cum ad ipsos grauissima quaeque caussa deferatur, cumque hi ceteris non modo scientia praeluceant, sed ingenii quoque fama omnium maxime floreant.

Quae cum ita se habeant, quis aequo animo ferre possit leguleios illos, homines infantissimos, qui cum omne literaturae genus nihili prorsus faciant, praeterquam quod poetas, oratores, philosophos, mathematicos tanquam viles animas et inutile terrae pondus contemnunt, eos praeterea derident sapientissimos viros, qui de iure venuste latineque scribunt, quasi in foro deliperent, quod non barbari, quod non illorum similes esse studeant? Hos itaque festiui isti et arguti appellare per risum et iocum audent homines Ciceronianos, aut sesquipedalium verborum consectatores, aut etiam, quod multo indignissimum est, leuia ac ventosa capita, quae haud satis ratione constent. Ita profecto ipse ego viro, in hac nostra ciuitate tum iuris doctrina et literarum humaniorum elegantia, tum etiam librorum editorum gloria clarissimo, ab aliquo, nescio quo, e nugatoribus istiusmodi illudi atque obtrectari, multis de foro, plausu comprobantibus, vidi. Nequiorne impudentia excogitari potest, quam quod ab ipsismet literarum ornamentis, quae maxime commendare deberent, occasionem arripiant homines grauissimos contemnendi atque irridendi? Sed in hac parte aliquo pacto fortasse excusari possunt. Nauseant facile stulti id, quod ignorant; vtque putentur sapere, caelum ipsum, vt Phaedrus ait, vituperant. Quod vero longe grauissimum, quodque nullo modo ferendum esse videtur, illud sane est, quod adolescentes optimo ingenio et a musis minime alienos abducant ab amore studioque literarum, et quantum fieri potest, distrahant. Qua quidem in re quis summam istorum fraudem malitiamque non videat? Conantur porro in ceteris ea ipsa virtutis semina elidere, quorum vberes fructus sterilitati suae probro aliquando fore extimescunt. Omnes incultos, omnes balbos, omnes gregis sui simillimos esse cupiunt. Quocirca vulpeculae illius calliditatem haud inscite imitari videntur, quae, vt in fabulis est, quo caudae sibi interceptae dedecus alieno cohonestaret exemplo, ceteras quoque vulpes enixe cohortabatur, vt eam pariter sibi abscinderent; quippe quae vsui non esset, sed oneri. Ita fere solent homines isti fallaci quadam beneuolentiae specie adolescentium animos nondum satis consilio et ratione firmatos aggredi, et saepe dignitatem fori, quod quidem minime reprehendo, ad caelum extollere, saepe de literarum studiis declamare tanquam de re non modo nihili prorsus facienda, sed quae etiam fortunam hominum forensium deprimat. Nugas ergo dictitant literas esse et delectamenta puerorum: Philosophiam vero, astrorum notitiam, Geographiam ceterasque eius ordinis disciplinas otiosi hominis occupationem: omnia denique isthaec superuacanea ac leuiora ab eo repudiari oportere atque contemni, qui aliquando familiam in iure et legibus velit ducere, et foro supra ceteros dominari. Itane vero? Fieri non potest, vt quis euadat magni nominis iureconsultus, nisi musis, nisi elegantioribus studiis valere iussis, incultam,

cultam, caecam ac rerum paene omnium ignoratione miserrimam vitam traduxerit? O nequitiam hominum plane veteratoriam! Adeone sibi persuadent, posse per summam fraudem amoliri ea, quibus ipsi carent, bonarum artium ornamenta, vnde Italiae dignitas, vnde nostrae ciuitatis splendor, vnde Christianae religionis praesidium et firmamentum constituitur? Verum enimuero errant, vehementer errant, si in hac Vrbe, perantiquo optimarum artium domicilio, per hos cuniculos efficere aliquid posse putant. Habent enim adolescentes nostri plurimos, quos Romae intueantur, clarissimos viros, cum iuris, tum omni literarum genere ornatos, quorum iudicio atque auctoritate peruersas istiusmodi opiniones omnino refutari videant. Habent Pontificem Maximum ante oculos, virum sane literatissimum, cui difficillima Christianae reipublicae tempora impedimento non sunt, quo minus honestissimas disciplinas in diem amplificet, et quam maxime potest, illustret. Habent denique saxa haec ipsa et parietes, qui veteris doctrinae gloriam adhuc spirantes, hominum tam desipientium vocibus prope reclamitant. Quibus sane lapidibus vtinam vis inesset, exulcerata istorum hominum capita ad sanitatem reuocandi, aut saltem sic deterrendi, vt sese tandem silentio contineant: quemadmodum inepto illi apud Petronium versificatori Eumolpo contigisse dicitur.

Sed longius fortasse, quam par erat, dicendo prouecti sumus. Tempori iam consulendum, cuius finibus reliquam orationis partem ita circumscribi sentio, vt eam breuiter et quasi summatim percurrere necesse sit. Quanquam et hoc satis commode cadit: neque enim cum tardis et conclamatis ingeniis erit nobis deinceps laborandum, aut cum iis, qui literas e ciuitate exturbare conentur atque in exillum eiicere; sed cum honestissimis viris, in quibus cum dignitate forensi coniunctum est maxime omne liberalium artium decus et ornamentum. Delectantur hi plurimi, vt antea dixi, candore latinitatis, amant purum scribendi genus; quod tamen in iudiciali sermone, nescio qua consuetudine, aut opinione ducti, negligunt. Quocirca hi, mea quidem sententia, longe grauius peccant, quo maior est in foro eorum ipsorum auctoritas: cum aliis dare videantur ansas ad forensis munditiam orationis iure aliquo reprehendendam. Sed hoc omitto. Quid autem est, quod ipsi tam humiliter demisseque sentiant de dignitate Iurisprudentiae, vt deteriori eam loco ac ceteras facultates esse velint? Quis enim populus, quae gens, quae hominum natio memoria nostra est adeo inculta atque omnis humanitatis tam expers, vt non exhorrescat ac magnopere detestetur foeditatem illam dictionis, quae ab aetate ac moribus barbarorum veluti tabes quaedam mortifera defluens, in singulas quidem scientias inuaserat? Hinc proinde fit, vt iam transalpinae gentes, tum etiam Italia fere vniuersa de Dialectica, de Philosophia, de Geometria, de Medicina ceterisque iis bonis artibus libros scribat luculenter et singulari quadam proprietate sermonis. Quod igitur communiter in omnibus aliis facultatibus turpe ac vituperatione dignum esse censetur, id in iure ciuili non inhonestum esse videatur? At peculiares sunt aliquae iuris formulae, quae etsi cum castitate latinitatis maxime pugnant, nullo tamen modo dimitti possunt, aut immutari. Quasi vero id non sit facultatis cuiusque proprium, vt quibusdam certis vnaquaeque vtatur vocabulis, et suis quodammodo loquatur vocibus. Sunt enim non solum cuiuslibet linguae,

guae, verum etiam artium singularum propria quaedam, vt ita loquar, idiomata. Habet suas Dialectica voces, habet Geometria, habet quidem Medicina. Cum itaque abunde satis fuerit iam vsu atque experientia comprobatum, liberalissimas eiusmodi disciplinas ab elegantia latini sermonis non abhorrere; dubitabitisne, quin pari splendore ornatuque verborum de Romano iure valeat disputari? Quanquam ego nunquam in eorum sententia fui, qui, si quod verbum ab antiquis minime vsurpatum offenderint, aut quod a Cicerone ipso, aut a Caesare, seu primo quouis alio eius aetatis scriptore non fuerit Romana ciuitate donatum, stomachantur statim, fastidioseque librum deponentes, clamitant, auctori diem violatae latinitatis esse dicendam. In hoc autem isti, meo quidem iudicio, faciunt et arroganter et imperite. Quis enim non videat, quod rebus nouis inuentis, plura quoque noua vocabula inducere necesse fuerit? Quae tametsi olim minime recepta ac prorsus inusitata, tamen haud idcirco nunc minus latina, aut barbara censeri debent: cum iampridem ab ipso hominum doctissimorum consensu auctoritatem et ius quodammodo antiquitatis obtinuisse videantur. Quamobrem elocutionem forensem non puris putis aurei saeculi reliquiis vsque adeo conflatam volo, vt quamlibet vocem, non ea aetate natam proscribendam fore iudicem: sed mihi satis erit, quod ipsa verbis propriis constet iisque dicendi modis, quos vsus literatorum probarit: quod perturbata constructione non obscuretur, quod temperata sit numeris, quod denique suauis et quadam cum lenitate profluat. Etiamne hic homines isti delicatiores cunctantur? Adhucne animis et cogitatione haesitant? Quid vero si stylum grauibus verbis ac sapientissimis sententiis ornatum postulassem, quali vsum fuisse videmus Franciscum Hotomannum, aut immortalis memoriae virum, Iacobum Cuiacium, aut Annaeum Robertum, aliosque clarissimos superiorum temporum iureconsultos? Insigniter iam splendideque hoc tempore quaestiones suas expediunt plerique medici atque philosophi, de iure autem ac legibus nisi inornate, nisi incondite duriterque disceptari non poteris?

At nobis ob maxima negotia tantum otii non suppetit. Nemini sane dubium esse potest, quin forensis vitae genus plenum sit curarum, plenum laboris. Tot enim sunt iuris anfractus, tot latebrae, tot veritatis oppugnandae cuniculi, vt quemadmodum bella gerentibus et adeundi sunt asperi colles et munitissimae ciuitates expugnandae, apertoque saepius campo totis viribus decertandum; sic etiam, qui in iudiciorum castris versantur, non certaminis vnius incommoda, sed multa et grauissima et quotidiana subeant oportet. Quamobrem magnus ille fori ductor et quasi signifer M. Tullius, qui per summos labores in acie illa forensi plures vnus victorias, quam ceteri pugnas, numerauerat, illud toties monet, praesertim vero in Orat. pro M. Coelio, in isto scilicet vitae genere omnes omittendas esse voluptates, relinquenda studia delectationis, ludum, iocum, conuiuium ac sermonem paene familiarium deferendum. Itaque si homines nostri tam magna ingenii contentione tantoque animi impetu ad fori negotia incumbant, vt omnibus sibi voluptatibus, omnibus ludis interdictis, vix spiritum et vitam ducant: concedenda quidem est ipsis aliqua sermonis incuria: neque valde curandum, si non accurate eleganterque scribant. Sin autem tam multis negotiis occupati, totque caussis susceptis: quanquam nolo hac de re curiosius inquirere. Esto per nullam paruam moram eisdem liceat

licent esse otiosis, imo vero semper occupatissimi viuant; an condonanda erit idcirco ipsis leuitas illa, ne dicam insania orationis? Quae tanta eosdem quaeso necessitas impulit, vt plures reciperent caussas, quam dicere accurate possint et cum dignitate sustinere? An lucri cupiditas? At si maiorem vim apud eos pecunia habeat, quam nominis fama, aut existimatio fori, quid est mediusfidius, quod a talibus hominibus metuere non debeamus? Quod facinus, quod scelus ab eorum manibus abesse poterit? Certe si extra contentionem ratio mihi habenda esset cum iis, qui hoc pacto vtilitatem honestati anteponendam esse arbitrantur, illud primum ab ipsis quaererem, vtrumne per eam scribendi socordiam e re sua sese facere putent? At enim diligentius scribendo multo pauciores caussas expediremus. Sit sane ita. Num quis ignorat, adamantem quamuis vnum et perexiguum, saxis tamen multis et ingentibus longe pretio atque aestimatione antecellere? Haud valde sapit, qui vel vnam auri massam compluribus ferramentis pretiosiorem esse non indicet. Rem planius agam. Longissime quidem a proposito aberrant, dum sibi persuadent, ab iis quaestus non vberrimos fieri, qui pure emendateque caussas dicunt. Hi profecto clarissimi solis instar vsque adeo foro praelucent, vt omnium oculos ad se connertant; aut imperatorum fortissimorum similes esse videntur, quorum consilium in consultationibus, quorum sapientia in iudiciis, auctoritas in subsellis maxime dominetur. Equidem incredibile dictu est, quam magnum nomen afferat vel vnius caussae patrocinium ex ipsis studiis humanitatis splendide et luculenter pertractatum; vt proinde mirum non esse debeat, si haud raro videamus in foro homines adolescentes iis palmam praeripuisse, qui in iudiciis diu versati prope inter subsellia consenuerant. Nam oratio est quoddam animi nostri speculum, in quo non adumbratam modo, sed etiam veluti expressam humanae sapientiae imaginem intuemur. Hinc accepimus Socratem, hominem sane sapientem, ad explorandum suorum ingenium penitusque inspiciendum, aliud nihil ab illis postulare consueuisse, quam quod loquerentur. Vix enim fieri potest, vt certum quoddam sapientiae, aut stultitiae intus latentis vestigium non ex ipsamet oratione foras erumpat atque appareat. Ieiunitas enim illa elocutionis misera atque insulsa indicio haud obscuro esse solet leuioris animi, siue hominis si non aetate, at certe iudicio adolescentis. Quapropter Horatius in praeclara illa ad Pisones epistola statuit, ibi duntaxat repertum iri recte scribendi et principium et fontem, vbi existeret mens et sapientia. Cum igitur proprietas integritasque sermonis tam vberem existimationis fructum pariant; cumque ex earum neglectu facile soleant in summum discrimen adduci ingenii fama, iudicium, grauitas atque consilium; tantum abest, vt nitide politeque scribentes aliquid de iudiciario quaestu deperdant, vt ad ipsam dicendi elegantiam spe lucri amplissimaque pecunia vel maxime incitari videantur. At fortasse plus aequo de re minime dubia diximus.

Quod vero magis animum angit meum, multoque vehementius perturbat, est sane publica ciuitatis nostrae macula atque infamia, quam quotidie suscipit de teterrima istius scriptionis colluuie. Cum enim ea sit dignitas Vrbis atque maiestas, vt, quemadmodum olim imperio, ita nunc religione ac legibus in omnibus fere gentibus dominetur; illud necessario consequitur, vt hic maxima et frequentissima fieri debeant iudicia,

cia, vbi est fons et sanctitas legum, vbi sanioris iurisprudentiae responsa, vbi demum populi ac Reges sacrorum canones, decreta et constitutiones Pontificum Romanorum saepissime consulunt. In hac igitur tanta iudiciorum celebritate tantaque iuris tum humani tum diuini disceptatione cum Romae multi de foro sint, qui grauissimas de his rebus quaestiones, nulla adhibita scribendi cura, solute oscitanterque pertractant; ecquis non videat, quantum de existimatione forum ipsum ac populi Romani nomen amittat? Etenim plurima istius generis scripta non modo Romae in dies singulos exeunt et in vulgus emanant, sed quod longe deterius est, apud exteras quoque gentes haud raro peruagantur, quae ab insusitata ista scribendi negligentia de omni pariter studiorum nostrorum ratione pessime iudicant. Cum enim plerumque sibi per locorum interualla non liceat ad Vrbem accedere, neque videre, aut alloqui homines nostrae ciuitatis sapientissimos, neque etiam congressus celebratissimos frequentare, vbi de studiis humanitatis et eloquentiae, vbi de re poetica, de notitia veterum numismatum, de nouis philosophorum inuentis aliisque pulcherrimis rebus summo ingenio ac puris lectisque verbis dicitur; in hanc facile suspicionem veniunt, vt singularis illa latinarum literarum elegantia, quae olim Romae tantopere celebratur, in eam ipsam iam commigrarit barbariem, quam hodie permulta olent caussidicorum Romanorum volumina. Neque id sane immerito. Nam si homines, qui diu in foro versati sunt, habiti fuerunt semper omnium opinione perquam docti insigniterque sapientes; illi autem sic latine scribant, vt id nescire prorsus videantur, quid demum de ceteris nefas erit in eo genere suspicari? Huc quoque error alter accedit, quod saepe in Vrbe magna hominum istorum ratio habeatur, eorumque consilium atque opera non secus plerumque exquirantur, quam si in tota ciuitate nemo sapientior existeret, aut grauissimum quodque negotium eorum ipsorum iudicio, veluti Atlante caelum, niteretur; proinde fit, vt exteri homines existimationis eiusmodi specie inducti soleant de ceterorum ingenio ac virtute coniecturam longe omnium pessimam facere. Ex ipsa autem tam peruersa de rebus nostris opinione natam potissimum fuisse, arbitror, earundem exterarum gentium arrogantiam prorsus intolerabilem, vnde nostra despicere consueuerunt, et prae nobis vnae omnino sapere sibi videntur. Quandoquidem se suaque tam magnifice circumspiciunt, vt iam non modo poetas et oratores, vetustissimum luculentissimumque Italiae nostrae patrimonium, fundum suum factos fuisse dicant, sed etiam nos de omni latinitatis statu atque elegantiae dignitate deiecisse glorientur. En quem in locum deducta est vetus Italiae gloria: en quo nominis nostri fama decessit ob peruagatam istam ineptissime scribendi licentiam! Huic autem malo nisi aliquando tandem occurratur, nemo non intelligit, in diem magis ludibrio laesum iri Italiae ipsius nomen, et quod dolendum est maxime, immortalem quoque amplissimae huius Vrbis existimationem. Quae quidem Vrbs clarissima ac sapientissima, Christiani imperii caput, si loqueretur, nonne vos, amplissimi PP. vestramque fidem, quantum posset, hac vna voce obtestaretur? Quod olim rapuit Gothus, quod incendit Hunnus, quod late Vandalus vastauit, nae mihi multo minoris stetit, quam si nunc meo nomini haereat ignauiae macula aut ignorantiae suspicio. Vos igitur, qui sacramento legum idcirco obstricti estis,

eſtis, vt iniurias ab vnoquoque propulſaretis, quousque demum illatum mihi a barbaris hominibus tam acerbum, tam graue vulnus inultum eſſe patiemini? Illa ego, quae olim non modo domicilium, ſed magiſtra, ſed parens literarum, ceteras omnes gentes inſtituebam, haud minus certe ſapientia, quam imperio ipſis praeluceus, nunc me videam dignam, cuius fortunam ipſaemet exterae nationes illudant, et propter imperitorum nonnullorum ſocordiam veteris omne dignitatis nomen amittam? Per illa vos ego grauiſſima ſenatusconſulta, per ea ſapientum reſponſa, quae ſumma religione colitis, per ingenium, per fortunas veſtras vos oro atque obteſtor, ne pulcherrimam legum facultatem tam illotis manibus contrectari ſinatis. In veſtra quidem poteſtate poſitum eſſe ſcitote, irruenti barbariae frenos iniicere. Praecludite in hoc Romano gymnaſio ad iuris dignitatem aditum iis, qui plane latine neſciunt. Prohibete domo veſtra iuuenes, qui non appoſite ſcienterque ſcribunt. Loquiminor ſaepe de laude, ſaepe de gloria iureconſultorum veſtrorum, qui optimis temporibus floruerunt. Hos veſtris adoleſcentibus imitandos proponite: horum veſtigiis vt diligenter inſiſtant, etiam at que etiam cohortaminor. Profligatam ita fori barbariem, videbitis ac breui priſtinum ſplendorem legibus reſtitutum.

Haec, vel horum ſimilia eſſent, P. C. verba, quibus ampliſſima haec Vrbs, modo vocem poſſet emittere, opem veſtram non poſtularet tantum, verum etiam flagitaret. Quibus cum mihi grauiora non ſuppetant, aut quae ſperem maiorem vim eſſe habitura, vt tandem faciam dicendi finem, ad hos optimos adoleſcentes humanitatis et eloquentiae ſtudioſos, quorum potiſſimum cauſſa, vt initio iam dixi, haec omnis oratio mea inſtituta fuit, me conuertam, eosque ſane, nulla inducta perſona, ſic alloquar. Permagna quidem ſunt praemia, iuuenes, quae vobis olim in hac ciuitate et ingenium veſtrum et fori dignitas pollicentur. Nolite tamen per Deum immortalem! pati, vt hominum barbarorum exempla ab hoc ſuſcepto gloriae curſu vos deturbent longiſſimeque deducant. Contemnite iſtorum ſermones et voculas, quibus temere audent bonis artibus obtrectare. Imo ad honeſtiſſimam legum facultatem viam vobis muniendam eſſe ſtatuite, non hercle barbarie ac deſidia, ſed ſincera latinitate, ſed eloquentia, ſed ſtudiis honeſtiſſimis literarum. Haec vna vobis tam arduum iter molientibus ſint peramplum ſplendidumque viaticum. Haec ſint lauta et luculenta ſupellex, quae ad vſum tam ciuilis, quam Pontificii iuris promatur. Itaque ex optimis quibusque ſcriptoribus vim dicendi et proprietatem arripite, quae lucem rebus incredibilem affert: praeſertim autem ex Tullio, qui propter ingenium et eloquentiam in iudiciis regnare dictus eſt. Ab ipſo vires et impetum orationis, ab ipſo elocutionis ordinem et ornatum addiſcite eamque dicendi facilitatem, qua nihil iucundius, nihil dulcius inueniri poteſt. His autem ornamentis inſtructi, ad eorum quidem iureconſultorum gloriam proprius accedetis, qui non minus liberaliſſimis ſtudiis, quam legum doctrina floruerunt, digni propterea omni laude ac memoria hominum ſempiterna. Sed quid ego vobis antiqua repeto? Quaſi vero hic magno numero adeſſe non videam iuris perinde ſcientiſſimos ac literatiſſimos viros, quos vobismet imitandos proponere poſſim. Adeſt ſcilicet hic lectiſſimus iurisperitorum ſenatus, ſacrae Conſiſtorialis aulae Aduocati ac fori Romani lumina: adſunt hi Principes Eminentiſſimi, qui praeſentiae ſuae ſplendore ac maieſtate clariorem hunc diem

illuſtrioremque nobis efficere per ſummam humanitatem voluere. Hi ſane omnes ad hanc ipſam, quam videtis amplitudinem dignitatis, ad hoc tantum gloriae faſtigium, non per inertiam, aut per literarum odium et contemtionem, ſed per ſummum laborem, per ſtudia optimarum artium forenſi exercitatione coniuncta magna cum laude peruenerunt. Hos igitur perpetuo conſtanterque vobis, clariſſimi adoleſcentes, ante oculos ponite. Horum fructuoſos labores, horum praeclara ſtudia dies noctesque cogitate. Sic enim aliquando fiet, vt vos quoque ad hanc ipſorum laudem et dignitatem, quod vobis felix fortunatumque ſit, iure aliquo aſpirare poſſitis.

DE

VSV ET NECESSITATE ELOQVENTIAE

IN

FORO ET HODIERNIS IVDICIIS

ORATIO VI.

HABITA VI. IDVS NOVEMBRIS AN. MDCCXVII.

MIRANTUR nonnulli, quid cauſſae ſit, quod pro tanta eloquentiae dignitate tantisque profeſſorum laboribus, nequaquam ſatis multi adoleſcentes forti et magno animo inueniantur, qui, ad pulcherrimam dicendi facultatem, omnem vim ingenii omnemque induſtriam conferant. Verum meo iudicio mirentur potius, ſi quem hoc tempore ad ſubſellia haec noſtra accedentem, quam ſi aut a nobis abhorrentem, aut ipſius eloquentiae ſtudium tanquam leue ac minime fructuoſum contemnentem videant. Nam vt omittam de ceteris cauſſis dicere, nemo veſtrum ignorat, quaenam opinio his temporibus non apud barbaras gentes, ſed in hac ipſa ciuitate, in vrbe Roma de eloquentiae ſtatu inueterauerit. Percrebuit enim ore atque ſermone omnium, eloquentiae vſum prope omnem iam de medio eſſe ſublatum; eiusque fines adeo anguſte iam circumſcribi, vt ſi ſacras conciones, quae ad populum habentur, aut laudationes quasdam, quae ad Principes fiunt gratulandi cauſſa, vel in eorum funeribus exornandis excipias, nullus

nullus amplior pateat locus, vbi ea satis valeat exspatiari. Dominabatur illa quidem olim in rostris, latissime regnabat in foro, eaque fere caussa in disceptatione vincebat, quae patronum inuenerat eloquentiorem. Nunc autem immutata subselliorum forma, iudicia hac nostra aetate ita exercentur, vt in eis nihil oratorum facultati tribuatur. Cum itaque ad forensem gloriam alius iam tenendus sit cursus, alia via; frustra adolescentes nostri, qui in hac ciuitate ad hanc tantam spem aluntur, frustra, inquam, diutius in hac palaestra versantur. Non est sane, cur hi summo studio tantisque vigiliis in eloquentissimorum Oratorum lectione occupentur: nec laude digni, qui multum aetatis atque industriae in ea facultate sibi comparanda ponunt, cum qua nulla iam intercedit cum iure ciuili affinitas nullumque vinculum societatis. Haec fere sunt P. C. ea, quae plerique de foro homines crebris solent vsurpare sermonibus. Haec prope omnium adolescentium nostrorum de eloquentiae statu vna vox atque sententia. Ego vero aut rudis omnino sum rerumque humanarum vndique ignarus, aut istiusmodi opinionem inanem prorsus stultamque esse et haberi oportere, contendo. Nam esto, immutata sit vetus illa iudiciorum ratio, esto, nunc caussarum actiones contineantur domesticos intra parietes; neque eam populi frequentiam plausumque adsciscant, in quo oratorum studia maxime niti solebant: adhuc tamen in hoc ipso, quo nunc vtimur, iudicandi genere, dico, interdictam hodie foro non esse eloquentiam, sed in iudiciis quoque nostrorum temporum suum esse eloquentiae vsum, suam vim suamque, vt paucis dicam, necessitatem. Quod quidem totum etsi primo multis incredibile esse videatur, spero tamen fore, vt hac ipsa re nihil verius, nihil rationi magis consentaneum esse intelligant. Cum autem in eo orationis genere versemur, in quo de dignitate Romani fori, de liberorum vestrorum gloria maximisque vtilitatibus agitur, profecto dubitare non possum, quin me hodierno die attente libentissimeque audiatis.

Quoties autem mecum ipse cogito, quam libere nonnulli confidenterque dicant, nostris hisce temporibus ad forum accommodari nequaquam posse eloquentiam, toties sic mecum statuo: aut hos temere damnare, quod minus intelligunt, qua re nihil turpius, nihil impudentius; aut eos prorsus, in quo sita sit eloquentia, non internoscere. Putant fortasse, cum eloquentiam audiunt, facultatem dici, quae quamlibet in partem arbitratu suo ac libidine audientium animos flectat et circumducat; quaeque ita sit acris, ita vehemens in dicendo, vt non tam verba et sententias fundere, quam tela et fulmina vndequaque vibrare videatur, quemadmodum de Pericle illo Atheniensi veteres Comici tradiderunt. Cogitant, puto, oratores homines turbulentos et quasi lymphatos, qui in id maxime incumbant, vt precibus, clamoribus atque eiulatibus turbas excitent ac tragoedias. Id denium opinantur, omnem dicendi vim vsque adeo in concitandis affectibus esse repositam, vt iis sublatis, eloquentia statim concidat atque intereat prorsus. Eninruero errant, et vehementer quidem errant eiusmodi homines; nec quicquam recte iudicant de eloquentia. Tantum enim abest, vt in excitandis animorum motibus maxime, vel solum occupari debeat orator, vt contrarium potius, si praesertim de eloquentia, quae ad forum pertinet, res agatur, et senserint et palam docuerint homines sapientissimi, iidemque in arte dicendi peritissimi. Nam vt omittatis recordari, quid olim

olim hac de grauissimus Areopagitarum senatus decreuerit, qui semper ab huiusmodi lenociniis sic abhorruit, vt ne iudices aut dicentis aspectu, aut actione mouerentur, sed vnas rationes et vnum ius aequitatis attenderent, eum in tenebris audire voluerint; difficile sane non erit assequi, in hac ipsa opinione fuisse Socratem, Platonem, Aristotelem aliosque plurimos. Et quidem Socrates ipse cum summo capitis discrimine reus ageretur, suamque caussam sic iam egisset, vt alind nihil expectasset, quam quod iudices ad misericordiam dicendo commoueret; noluit tamen eorum clementiam implorare, noluit lacrymas adhibere, noluit vxorem, liberos, amicos sordidatos producere: sed maluit honeste mori, quam gemitu eiulatuque muliebri vitam turpiter deprecari. Plato autem, Socraticae doctrinae cultor optimus et propugnator acerrimus, quam seuere, quam grauiter eos saepe reprehendit oratores, qui parum de veritate soliciti iudicum animos, admotis veluti machinis, blanditiis emollirent, et a iudicii seueritate, cui sese iureiurando obstrinxerant, ad lenitatem et misericordiam impellerent? Quid demum Aristoteles, qui cum tam multa eleganter ornateque de oratoria facultate conscripserit, eiusmodi animorum motus non modo non probauit, sed eos quoque grauissime maledictis insectatus est quasi labem et nefariam iudiciorum pestem? Et quidem si iudicem pecunia corrumpi, nemo vnquam, nisi forte improbus, praeclarum duxerit; quis laudauerit artificio quodam iudicem ipsum deprauari longeque a recta ratione deduci? Videant ergo, quam facile decipiuntur, qui putant, animorum concitandorum vi sublata, eloquentiam nullo modo posse consistere. Quod igitur isthaec iudiciorum consuetudo neque populi studia, neque iudicum iram, aut misericordiam admittat, sed summam animi aequitatem summamque placabilitatem et quasi veterem illam Stoicorum ἀπάθειαν postulare videatur, non continuo eloquentiam foro exulare optimo iure quis dixerit. Aliud est profecto pugnacem illam et contentiosam dicendi rationem, quae ad permouendos animos maxime valet, inueterasse; aliud vero e iudiciis, quae modo fiunt, omnem eloquentiae vsum fuisse sublatum. Quis enim nobis nunc recte pronunciauerit fuisse vestibus interdictum, quod nemo praetexta, aut toga, vel sago prisco more induatur? Praeterquam quod hac ipsa aetate ἀπάθειαν istam in foro regnare minime video. Imo a plerisque summis caussarum patronis animaduerti calliditatis plurimum et industriae ad commouendas iudicum mentes haud raro vsurpari. Quorsum enim spectant illae de aduersariorum fraudibus querimoniae? Quorsum tam multi de mala ipsorum fide clamores? Cur iudices tam enixe orant atque obtestantur, vt honestissimae familiae, de qua res est, rationem habeant, vt domus paupertatem, vt rei familiaris angustiam, vt liberorum multitudinem, vt duriorem fortunam et iniquissimam conditionem mature cogitent atque perpendant? Non haec praecipua animorum concitandorum ratio? Non hinc locus patet, vbi magna vis eloquentiae versetur? Age porro, conticuit Romanum forum, multaque ex parte florentissima oratorum gloria obsoleuit vetustate ac vicissitudine temporum: non ita tamen obsoleuit, vt maximam adhuc partem sibi in iure dicundo non vindicet.

Sed antequam rem propius attingamus, alteram mihi video conuellendam esse opinionem, falsam quidem non minus et absurdam, quae tamen multorum

rum studia longe a nobis abducit. Putant nonnulli, hominem eloquentem eum tandem esse ac dici debere, qui plena ac perenni quasi flumen oratione redundat; eumque ad Demosthenem, aut M. Tullium proxime accedere, qui ceteris hominibus verborum pompa et sermonis granditate antecellit. At vero quis tam rudis ingenio, aut in literis tam nouus, qui non intelligat, plura quidem esse dicendi genera, et ad Rhetoricae facultatem orationem amplam et copiosam non magis quam pressam et modice temperatam pertinere? Alioquin neque Isocrates, neque Plato in amplissimum oratorum ordinem cooptarentur, quod eorum oratio, vt Cicero animaduertit, mollis erat ac temperata, nihil iratum habens, nihil inuidum, nihil atrox, nihil inflatum et grandiloquum, sed casta et verecunda quasi virgo. Illum itaque dicendi arte praestantem voco, qui bene, id est qui luculenter ornateque orationem tum ad res, tum ad personas, tum etiam ad tempora satis accommodatam adhibeat. Sit robustum dicendi genus: sit gracile, si mauis, atque exile, non impedio. Mirum profecto, quam varia et multiplex sit eloquentia. Quemadmodum in infinita hominum multitudine vnum alteri ore ac vultu, ceterisque lineamentis persimilem omnino non videas; ita ne duo quidem oratores, eodem prorsus inter se stylo eademque dicendi forma, conueniunt. Alter quidem acuto ac subtili magis quam amplo ac vehementi delectatur: alter grauis incedit et maiestate verborum et dignitate sententiarum: alii vero ita medium tenuere, vt voluerint illis quidem ornatiores, his autem submissiores videri; vt propterea, si vera fateri volumus, quot fuerunt olim viri eloquentiae splendore clarissimi, totidem plane dicendi formas expresserint. Quid quod alias atque alias scribendi rationes et multiplices prope dicam ipsius eloquentiae facies in vno eodemque homine intueri fas est? Quanta enim mehercule in vno M. Tullio dicendi varietas? Quam amplum et multiplex scribendi genus? Modo humile ac mediocre, modo angustum atque excelsum videas; iam asperum atque acerbum, iam suaue ac lene fluens, vt nimirum et locus et tempus, aut res postulare videbantur. Cum enim sapientissimus atque immortalis vir nunc in foro, nunc in curia diceret, et iam oratorem iam philosophum, iam vero consulem, aut imperatorem tutoremque reipublicae ageret, ita opportune loco ac tempori orationem accommodabat, seque ad rerum dicendarum formas ita traducere solebat, vt grandia elate ac magnifice, media temperate ac mediocriter, parua tenuiter pertractaret.

Quae cum ita sint, quid est, quod rabulae quidam de foro ius ciuile cum eloquentia iam pridem diuortium fecisse contendant? An quod praesens iudiciorum status vbertatem illam orationis et dicendi ornamenta non recipit, sed sincerum potius lene ac temperatum loquendi genus, proscribendane erit continuo atque e foro exterminanda dicendi facultas? Quasi vero sublata veteri forensium actionum forma, omnis pariter suadendi ratio e iudiciis sublata esse videatur. Quo pacto autem sperant homines peracuti, se quicquam de iure recte statuere ac iudicibus persuadere posse, si eius facultatis praesidio careant, quae vna suadendi vim praecipue neruosque ministrat? Ego sane nihil video a recta ratione magis alienum, quodque magis consilio repugnet.

Vt caussae fidem, inquiunt, dicendo facias, et non opinione solum, sed etiam ad veritatem iudicibus persuadeas, non praecepta rhetorum, aut eloquentiae myrothecia, sed iuris adeundi

eundi sunt fontes et peritissimi legum interpretes consulendi. Ita profecto. Ecce tibi ante oculos immensa rerum ac verborum copia ex iis, quae caussae maxime fauere videntur. Sexcenta habes tum ex Romano, tum ex Pontificio, tum etiam ex statutario iure argumenta, quae in medium afferas. Quin etiam innumeri doctores et legum interpretes, tot controuersiarum et consiliorum scriptores praebent tibi ad scribendum segetem vberrimam atque amplissimam. Quis vero Oedipus, aut quod tibi de caelo lumen affulgebit, ne tanta ac tam varia rerum multitudine obrutus de charta in papyrum scribas (verba sunt eruditissimi Polyhistoris Germani) inepta, futilia, superuacanea, thesin ipsam vel parum, vel nihil attingentia ? Ita enim moris est vulgo, inquit, apud iurisconsultos. Quis, inquam, te doceat singula loco suo scite disponere, et communes argumentorum locos industria quadam rectoque ordine pertractare, vt perspicue et ornate, tum etiam breuiter, quae ad caussam pertinentia sunt, explices atque expedias? Quotidianus, opinor, vsus exercitatioque forensis. Itane vero? Sed vnde fieri dicendum est, quod homines aetate iam matura et in foro exercitati quam maxime, praepostere tamen ac peruerse sine ordine ac sine delectu de iure scribaut? Quid caussae tandem est, quod in tanta exercitatione vsuque forensi, nihil aliud praeter putidos et male sutos centones farciant, qui viris doctis et eruditis stomachum moueant? Nonne quia illotis, vt aiunt, manibus ad sacrosanctas, quas ipsi vocant leges, pertractandas ausi sint accedere? Nonne quia bonarum artium et eloquentiae adiumenta non habent, vnde orationis filum apte pertexere valeant? Equidem negari non potest, elegantiorum literarum studia optimum esse fundum, cui inaedificari debet omnis ciuilis prudentiae doctrina: quo qui careant, nunquam veram forensium laborum gloriam assequentur. Accipite quaeso testimonium non caussidici alicuius de triuio, sed viri doctissimi et de omni iuris scientia optime meriti, Hugonis Grotii, qui Gallos, ad quos disertissimam scribit epistolam, ita grauiter admonet. Iureconsulti munus, inquit, virum magnum non faciet, nisi eloquentia accedat. Equidem magno sui experimento didicerat homo in iurisprudentia maxime exercitatus, quantum ab eloquentia ceterisque bonis artibus praesidii habeant, qui in foro aliqua cum laude versari cupiunt, cum ipse non alia ratione in iis, quae de iure belli et pacis elegantissime tradidit, veterum iureconsultorum in dicendo gloriam aequauerit.

Age vero homines plerique de foro ita ingenio ac iudicio polleant, vt inutilibus amputatis, non modo quae solida sunt atque optima consectentur, sed singula quoque in ordinem digerant ac satis bene disponant. Video, me plus nimio de meo iure concedere. Fac tamen ita esse omnino. An propterea ob eiusmodi ingenii vim eloquentiae studia ad forum minus pertinere censenda erunt? Quid enim ista non inelegans dispositio atque ordo, si praeterea nullus adsit verborum delectus, nulla elegantia vocum, nulla denique germanae latinitatis imago? Poteritne mehercule eiusmodi lectio mulcere legentium animos et suauitate aliqua allicere, vt attente libentique animo, tota quanta est, perlegatur? Lectio enim, vt optime ait Cicero, sine delectatione negligitur. Quid si lectio bene longa, aut de rebus per se iniucundis, vel etiam subtilibus et obscuris? Tunc sane dilucidam puramque dictionem, quae rebus istiusmodi lucem afferat,

nemo

nemo non videt maxime fore necessariam. Cum igitur delectus ille et cura verborum, vnde recte Caesar eloquentiam originem suam ducere affirmabat, ad eloquentiam ipsam iure suo pertineat; nemo profecto studiorum huius generis expers ea seligere poterit, quae obscuriora illustrent, et insuauia ac molesta iucunditate quadam ac sapore perfundant. Non est itaque, cur miremur, si homines forenses, qui haec nostra studia auersantur, aliquando tam obscure scribant, vt Chrysippum illum aemulari videantur, cuius integrum volumen ambiguis oraculis ac flexiloquis ambagibus sic refertum dicitur, vt ad illud enodandum nouo semper opus esset interprete. Nam quod Cicero olim semel ingenii solertia, vel malitia potius in Cluentiana caussa se fecisse gloriatus est, obscurasse videlicet dicendo iudicum mentes: illi quotidie ignorantia faciunt, quod se nempe dictio nitida ac sincera deficiat, qua animi sensus et cogitationes suas explicare commode valeant. Cum enim ex Aristotele prima eloquentiae virtus sit elocutio pura ac venusta, quae facit, vt oratio nihil barbarum, nihil insolens, aut peregrinum habeat, sed omnia singularum vocum elegantia earumque structura et collocatione optime inter se cohaereant; non video, quo pacto queant luculente scribere, qui elocutionis ipsius vim et praecepta prorsus ignorant. Hinc barbarae illae et nunquam apud latinos auditae locutiones, quibus quasi quodam humanitatis sale homines plane insulsi scriptiones suas condire sibi videntur. Quae vt percipiantur, non satis est habere prae oculis glossaria vniuersa, quae de barbaris vocibus magno studio collegerunt Fridericus Lindenbrogius, Henricus Spelmannus, Gothofredus Wendelinus, (*) Gerh. Io. Vossius, Carolus de Fresne aliique plures. Vnde vero istiusmodi coenum ac sordes homines festiui colligere poterunt? An ex purissimis veterum Iureconsultorum monumentis? An ex ipsis Iustiniani institutis? An ex codice Theodosiano? Credo fortasse ex Nouellis, ex Authenticis, aut Pandectis. Quam vellem clarissima eiusmodi exempla sibi ob oculos ponerent! Id quod superiori aetate summa laude fecerunt Guilielmus Budaeus, Antonius Faber, Iacobus Cuiacius, Franciscus Balduinus, Iacobus Gothofredus, Franciscus Duarenus aliique sapientissimi viri, qui cum ciuili scientia elegantiores literas et eloquentiam optime coniunxerunt. Quorum profecto volumina eam redolent scribendi castitatem atque elegantiam, vt si forte quae de rhetorica facultate Aristoteles, aut quos de Oratore libros Cicero memoriae prodidit, nobis fato aliquo interiissent, ex ipsis mehercule eloquentissimis viris haberemus, vnde suppleri possent eloquentiae praecepta et omnis dicendi venustas. Cur ergo quos habent duces et optimos scribendi magistros presso pede non insequuntur? Cur singularis eorum sapientiae vestigiis non insistunt? Pudetne sequi Fabros et Cuiacios, barbaros vero et imperitos, qui eruditorum omnium conuicio vapulant, sequi non pudet?

At enim iureconsulti, quos mihi praedicas, sapientes quidem ac diserti, non e foro, sed ex Academiae spatiis extiterunt. Versabantur illi in eruditorum vmbraculis ac Lycei otio, vbi satis commode poterunt ius, de quo quasi domestica

(*) *Huius Glossarium Salicum Legibus Salicis illustratis additum est, et habetur inter Opera Io. Iac. Chiffletii Antverp. 1649. vt de aliis hic adductis Glossariis taceamus.*

ſtica exercitatione in gymnaſiis disceptabant, aſpergere doctrinae floribus et eloquentiae pigmentis colorare. Nobis autem quotidie deſcendendum in medium agmen, in puluerem, in clamorem atque aciem forenſem, vbi ſane non pulchre cultis et affabre elaboratis ſed bene ſolidis armis pugnandum eſt. O praeclaram pugnam! O certamen cruentum! in quo, vt video, aduerſarii ſuis ſe miſerrime telis confodiunt. Etenim ſatis intelligo, magnum intereſſe diſcrimen inter ſapientiſſimos viros, quos cauſſa honoris paulo ante nominaui et homines noſtros, qui hodie in foro cum aliqua nominis fama verſantur. Enimuero duo ſunt omnino, in quibus eorum eloquentiam imitari et ad illam proxime accedere, e praeſenti more vſuque fori tenentur: in ſcribendo ſcilicet et cauſſam ad iudices referendo. Ad vtrumque hoc munus certe ingenium, humanitatis ſtudiis perpolitum et dicendi exercitatione bene ſubactum depoſci, quis non intelligit? Vt proinde ex immutato priſtino iudiciorum ſtatu, vnde eloquentiam foro eiectam plerique argumentari ſolent, ego contra pro hac ipſa, qua nunc vtimur, forenſi conſuetudine, maximam ipſius eloquentiae neceſſitatem ſtatui debere contendo. Nam agebantur olim cauſſae ſummo apparatu maximoque ſplendore. Victoriam ſibi magna ex parte vindicabant tum patroni eloquentia, tum populi Romani ſtudium, qui iudiciis maxima frequentia adeſſe et aequitatis patrocinium quodammodo arripere ſolebat. Huc accedebat eius, de quo erat iure decernendum, praeſentia atque aſpectus; vxoris lacrymae, gemitus filiorum, amicorum officia et preces, ſpectata erga Rempubl. merita, poſtremo iudicum pietas et commiſeratio: Quid vero perorantis vox atque actio? Quae profecto ſic valet ad mentes hominum permouendas, vt fama ſit Demoſthenem ei primas, eidem ſecundas ac tertias tribuiſſe. Certe Cicero hanc ipſam vnam in dicendo maxime dominari affirmabat. Cum igitur haec omnia iam e foro deſciuerint, quid aliud miſero clienti ad ſalutem remanet praeter vnam ſcriptionem, iuris quaſi naufragii tabulam? Quae quidem ſi obſcura, vt difficilis ſit explicatu; ſi ieiuna atque agreſtis, vt legenti nauſea fiat, nonne de omni cauſſa actum eſſe dicemus? Continetur nunc tota quanta eſt cauſſarum actio vnius hominis diligentia atque induſtria: qui niſi in ſcribendo ſingula ad rem pertinentia in bono lumine collocauerit; niſi facti et iuris neruos artusque optime diſpoſuerit, verendum eſt ſane, ne eiusmodi cauſſa non praeclaros exitus habeat. Et negare quis poterit non maiorem nunc, quam olim in foro oratoriae facultatis vſum eſſe ac plane neceſſitatem?

Alterum vero, in quo eloquentiae ſtudium, vt dixi, noſtris hisce temporibus homini forenſi maiorem in modum neceſſarium eſſe iudico, eſt nimirum cauſſam ad iudices referendi conſuetudo. Qua quidem in re mirum quantum valeat dicendi venuſtas et eloquentiae praeſidium. Etenim ſiue latino ſermone ſiue domeſtica atque vernacula lingua (eodem quippe res recidit) id fiat, talis quidem eſſe debet doctoris induſtria, vt verbis quam pauciſſimis rem doceat, perſuadeat, flectat et iam quodammodo vincat. Quod negotium permagnum ſane atque arduum qui ſuſcipit, non temere et caſu, ſed meditatus et ex arte dicat neceſſe eſt; ea videlicet perſpicuitate, vt rem omnem aperiat atque illuſtret; iis verbis puris atque electis, vt ſi dicendo non delectet, at certe animos non offendat; ea denique breuitate orationis, vt iudices, homines vel maxime occupati, longo dicendi ambitu minus defatigentur, argumenti tamen vis tota eorum

eorum mentibus haereat penitus atque insideat. Has autem singulas oratoris partes qui non satis apte accurateque expleuerit, hunc profecto muneri suo deesse iudico; et nihil dubito, quin is caussa, etsi optima illa sit, turpiter cadat. Quod si nonnulli naturali quadam dicendi copia, nullo adhibito studio, id satis praestant; hoc praeterquam quod non est multis natura datum, sed quasi priuilegium et singulare paucorum donum; id praeterea eloquentiam fori non amolitur, sed eius necessitatem luculento admodum hoc ipso exemplo confirmat. Huc quoque accedit, orationis vim eiusmodi insitam et a natura profectam tautologiis plerumque aliisque sermonis scatere vitiis, quae nisi ars dicendi opportune amputauerit, ea offendit plurimum ac molestissima esse solet.

Superest iam, vt quam breuissime eorum refutemus errorem, qui etsi studia haec nostra vituperare non audent, imo ea palam laudant atque extollunt, negant tamen posse fieri, vt vnus idemque homo simul praestet et dicendi genere et ciuilis scientiae doctrina; cum res vtraque magnam vim ingenii, multas vigilias maximosque procul dubio labores requirat: nisi forte velit vel paucissimas caussas suscipere et perraro ad forum accedere, vel quod longe deterius est, in iure discutiendo segnior ac remissior videri. Profecto homines isti, si haec de se suique ingenii imbecillitate loquantur, bene habet; non repugno. Norunt ipsi, vt poeta inquit, quam sibi curta supellex. At vero si ex suis viribus alios aestimare, atque omnes ex ingenii sui modulo metiri velint, ferendi nullo modo sunt, imo grauiter reprehendendi. Nam quae, malum, amentia est ista, quod se praestare posse diffidunt, id vniuerse ab nemine alio fieri posse contendere? Quis aequo animo ferat homines imperitos, qui eloquentiam ne de facie quidem nouerint, quique, vt lepide Budaeus ait, albane, an atra sit, diiudicare nequeant, negare tamen pugnacissime, ipsam cum iure ciuili posse coniungi, quocum coniunctissima semper fuit? At magno opus est ad eloquentiam ingenio, magno conatu, summis viribus. Esto: concedatur quidem difficillima esse, quae pulchra et admodum ardua, quae optima. Verum si id, quod est, fateri volumus, eiusmodi labor iis plane summus ac prope intolerabilis, qui cruda adhuc studia ad forum attulerint, et humanioribus literis vix leuiter informati ad iuris lauream aspirauerint. Qui vero ex humanitatis studiis solidam sibi eruditionem praeoccupauerint, et apparatum elocutionis vberem satis et luculentum tempestiue collegerint, nae ego amens, si in caussis defendendis herculeo isto sudore manauerint. Imo nullus dubito, quin ipsi prompte atque expedite de iure scribant, quemadmodum in ceteris argumentis, hominibus in iis studiis exercitatis, vsu venit.

Sed plura iam fortasse, quam volebam, de re minime obscura. Quis enim non videt, istorum opinionem satis superque refutari exemplo domestico complurium clarissimorum virorum, qui in hac ipsa ciuitate a pueritia hoc consilium secuti disputationes forenses cum expedite, tum ornate ac docte pertractant, vt non minus eloquentiae vi, quam iuris telo pugnare ac vincere videantur. Horum sane auctoritas in hac Vrbe quam maxime inualuit, non quod iuris scientia ceteris longe praestent, vt sibi falso persuadent plurimi, sed quod dicendi copia et facultate ceteros antecellant. Quo fit, vt ipsos magna clientum caterua stipatos huc illuc quotidie volitare videamus, et pecunias et opes et amicitias sibi praecla-

ras comparare. Poſſem hic multos nominatim proferre ex iis, qui hodie in foro familiam ducunt, quique hoc induſtriae genere ceteros ſui aequales longo poſt ſe interuallo reliquerunt. At nolo aliquem nominare, ne aut cuiquam adulari, aut ſi non omnes, vt par eſt, laudauero, debita laudatione quemquam fraudaſſe videar. Sed praeſtat id tacitis veſtris cogitationibus exiſtimandum relinquere, de quibus hanc tantam laudem intelligi cupiam. Neque enim facile latere poſſunt, ſi velint; cum ſint in oculis totius ciuitatis, atque eorum fama omnium ſermone celebretur. Horum dignitate atque opibus mirum profecto, alios ad haec ipſa ſtudia non incitari atque accendi: quemadmodum fama eſt, Miltiadis tropaea Themiſtoclis animum ita inflammaſſe, vt vel quieſcentem e ſomno excitare ſolerent. Atqui iſti duro ore poſſunt quotidie non vnius, ſed multorum praeclaras in foro victorias et tropaea oſcitantes intueri. O ſingularem ſtuporem! O ſtultitiam incredibilem!

At magnam quidem vim eſſe in fortuna aliqui putant, et inanis eiusdem numinis arbitrio illud fieri, vt aliquando etiam in foro primos ordines ducant, qui eorum opinione inter gregarios milites deberent incedere. Alii vero ingenio, vt ſibi perſuadent, altiores caelum ipſum, vt poeta inquit, ſtultitia petunt, et arcanas neſcio quas ſiderum coitiones ariolantes, clariſſimorum virorum praeſtantiam non labore atque induſtria, ſed ſtellarum benignitate deriuari et quodammodo donari volunt. At mehercule illi non minus quam fortuna ipſa caeci eſſe videntur, quod non videant, ſapientia et conſilio fieri, quod ipſi caſu contingere putant: hi vero malitioſi atque improbi, quod ad ignauiam ſuam excuſandam de ſummorum virorum gloria plurimum detrahant, aſtrorum virtuti et efficacitati tribuentes, quod illi reuera ſibimet bonarum artium ſtudio, multis vigiliis maximisque laboribus compararunt.

Quae cum ita ſe habeant, ecquis eſt, qui non intelligat, quam vtile, quam fructuoſum, vnoque verbo quam neceſſarium ſit eloquentiae ſtudium iis, qui id temporis in foro aliqua cum laude verſari volunt? Non eiecta eſt, non exulauit foro, vt barbari homines obloquuntur, ampliſſima dicendi facultas. At quamdiu Romae tribunalia patere, et tum publica tum priuata iudicia fieri contigerit, quamdiu cauſſas de criminibus agitari, et homines in ius vocari atque defendi, tamdiu illa priſtino ſuo iure vti, atque in ſubſelliis vt olim regnare videbitur. Deſinant ergo, deſinant optimarum artium contemptores eloquentiae gloriam inſolenter traducere: comprimant aliquando voces obtrectationis et inuidentiae plenas. Plus ſatis iam palam eſt, eloquentiam ad forenſem dignitatem hac noſtra aetate eſſe vel maxime neceſſariam. Etſi, age, pergant, dum volent, de foro rabulae honeſtiſſimas diſciplinas maledictis inceſſere. Clamitent boni viri inter eloquentiam ipſam et iuris ſcientiam nullum intereſſe commercium, nullum vinculum ſocietatis. Suadeant, quantum valent, ab eiusmodi ſtudiis nullum eſſe expectandum emolumentum, nullas opes, nullum decus: omnem ipſis obtrectandi licentiam damus. Neque enim veremur, vt quisquam tam hebes ingenio, aut natura tam amens exiſtat, qui ab iſtorum dicacitate ieiunisque argumentis ſeſe vnquam ab eloquentiae ſtudio dimoueri patiatur.



IN

IN

OPTIMIS STVDIIS LENTE FESTINANDVM

ORATIO VII.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS AN. MDCCXVIII.

GLORIANTUR plerique nostrae aetatis homines, optimarum artium studia hoc tempore ad eam esse deducta facilitatem, vt paucis annis et perexiguo labore cuique facile sit magnam sibi doctrinae laudem comparare. Quin etiam nonnulli libere affirmant, hominis vitam non breuem admodum esse, vt putauit Hippocrates, ad vnam vel alteram disciplinam assequendam; sed diuturnam quoque satis et bene longam ad amplissimum illum scientiarum orbem obtinendum, quem Graeci Encyclopaediam dixerunt: tot videlicet esse hodie discendi subsidia prompta atque parata, tam amplam librorum supellectilem, tot publica vbique gymnasia et nobilissima literarum emporia patere, vt nisi quis ingenio sit omnino destitutus, aut summam ad ignauiam proiectus, breui possit praeclaros in omni liberalium artium genere progressus facere. Quae quidem si vera sunt, ab istis quaero, qui tandem fiat, vt in tam obuia atque expedita discendi ratione, tam pauci nihilominus reperiantur, qui non dico vniuersum illum scientiarum circulum ingenio complectantur, sed in vna vel altera disciplina inter ceteros praestent, et quasi primos ordines ducant? Vbi memoria nostra Platones, vbi Demosthenes, vbi Cicerones, aut Plinii atque alia eiusmodi clarissima doctrinae lumina? Nemo profecto non videt, communi experimento refelli inanem istorum hominum credulitatem, aut nimium, ne durius agere videar, blandiendi cupidae iuuentuti desiderium. Multo labore multisque vigiliis, si vera fateri velint, opus est ad solidam doctrinae laudem consequendam. Nec quicquam est, mea sententia, quod studiosis adolescentibus officiat magis quam immatura et praeceps studiorum ratio. Quandoquidem si vlla alia in re, certe in optimarum artium studio, vt veteri prouerbio dicitur, est lente festinandum. Quare adeste vos animo, Adolescentes optimi, quotquot hodie ad intermissa literarum studia instauranda frequentes in hunc amplissimum locum alacri laetoque animo conuenisse video. Nam vestram caussam et quidem grauissimam hodierno die me potissimum suscepisse profiteor, dum praeproperam quorundam in studiis festinationem oppugnare aggredior. Hanc enim vos veluti ingeniorum pestem ac perniciem fugiendam esse, quemadmodum spero, facile intelligetis.

At vero, dum in ipso orationis aditu immaturam et plus aequo festinatam studiorum rationem reprehendere instituo, nemo vestrum sibi persuadeat, eorum mihi probari consilium, qui in leuioribus studiis adolescentes diutissime detinent, vt ad vnam latinae linguae institutionem complures anni, imo integra hominis aetas vix satis esse videatur. Tantum abest, vt istorum sententiam laudem, quin illam potius nullo modo ferendam esse iudico. Nam vt de ipsius latinae Grammaticae rudimentis exemplum sit, quid est per vestram fidem! immensa illa regularum, appendicum, scholiorum monitorumque farrago, quam ad torquenda puerorum ingenia vsque adeo exaggerauit cerebrosa ista grammaticorum natio? Quid tot ambages ac subtiliores obseruationes, quae non latinae linguae castitatem, sed tricas et apinas bene longas continent, in quibus miseri adolescentes potissimam aetatis partem traducere coguntur? Amputetur aliquando tot luxuriantibus ramis abundans ipsamet latine loquendi ars; pueris que tradatur angustis vt olim finibus circumscripta Grammaticae facultatis institutio: nae ego amens sim, nisi minori-

ri cura et perbreui tempore pueri ipsi latinum sermonem integrum ac purum expedite loquantur; quos hodie post tot labores atque aetate grandiori adhuc balbutientes audimus. Quod quidem de longioribus grammaticorum commentationibus sic dictum volo, vt de Dialecticis pariter, de Physicis, de Theologicis aliisque grauissimis facultatibus non minus intelligatur. Quandoquidem ingeniorum luxuries tantam in singulas disciplinas propaginem subtilitatum inuexit, vt sapientissimi cuiusque iudicio nihil iam vtilius magisque necessarium esse videatur, quam eas circumcidere et quasi ad viuum resecare. Quamobrem ego nunquam eos bonarum artium professores laudauerim, qui nimia quadam docendi intemperantia ducti singula quaeque student subtilius copioseque enucleare, vt nihil praeterea supersit dicendum, vel cogitandum; quique non id quaerunt, vt ad doctrinam veram et solidam iuuentuti facem praeferant, sed illud potius, vt rerum vbertate et dicendi copia magnam sui moueant audientibus admirationem. Qui si gloriolam istam pluris quam iuuentutis ab se recte in studiis instituendae laudem faciunt, certe sunt reprehendendi.

Verum vt aliquando, vnde digressa est, reuocetur oratio mea, si quis forte putet, cum vnam vel alteram disciplinam a me nominari audiat, leue aliquid, aut parui negotii prouinciam dici, is vehementer errat. Quemadmodum enim maximorum montium altitudo procul intuentibus minus conspicua esse solet, vbi vero ab ea propius absumus, tum apparet, quanta demum illa sit, et quam in sublime assurgat: ita fere nemo prospicit, quam excelsum atque arduum sit cuiusque doctrinae fastigium, nisi illud cominus contempletur, et quam proxime ad ipsum accedat. Praestat itaque liberalium artium naturam earumque altitudinem atque profundum paulisper inspicere. Nihil autem hoc loco de studiis eloquentiae dicam, ne nostra magnificentius extollere, aut quae in me multa desunt, ab aliis exquirere velle videar. Norunt multi, qui me audiunt, quam late pateant huius generis studia. Norunt, cuiusmodi laboris sit, oratoris personam, pro virili parte ac dignitate, sustinere. Praeterea in oculis omnium extant, quae multa M. Tullius, Fabius Quinctilianus et Dionysius Longinus ad perfectam absolutamque dicendi rationem esse maxime necessaria doctissimis monumentis tradiderunt. At vero Philosophia, quae primo nobis occurrit, in quantam, Deus immortalis, latitudinem se se explicat? in quot partes ac membra veluti magnum doctrinae corpus distributam videmus, quae singula multiplicem eruditionem comprehendunt? Nam vt Dialecticae artem, quae sane suas habet subtilitates et anfractus bene multos, praeteream; quanti ingenii ac laboris est, rerum omnium, quas oculis intuemur, quaeque in terris vel in aqua gignuntur, siue in aere ex elementorum conflictu procreantur, caussas penitus abditas retrusasque perquirere? Quot profecto in hac vna naturae contemplatione arcana latent, de quibus et veterum philosophorum placita consulenda, et experimenta recentiorum ad examen saepius sunt reuocanda? Equidem nemo hactenus fuit, qui certo definire, aut satis explicare potuerit, et magnetici lapidis ad caelestem polum conuersiones, et originem fontium et admirandam fluminum celeritatem, et vim ac sexcenta eius generis alia. Tu vero, vix auditis aliquot de materia et forma opinionibus, vix nonnullis de caussarum numero atque ordine quaestiunculis delibatis, te continuo physicum praedicas et vniuersae naturae inter-

pretem sapientissimum? O stultos Democritos, stultos Platones atque Aristoteles, qui tot annos pertinaci industria assiduisque vigiliis in philosophiae studio desudastis. Ecce adolescentes nostri paucis mensibus et quasi per ludum omne id assequuntur, ad quod integram diuturnamque aetatem vos nequaquam sufficere posse putabatis. Certe Themistocles, ille philosophus, cum centum et septem annos, quibus vixit, in Philosophiae contemplatione fere omnes consumpsisset, morti proximus dixisse fertur: se dolere, quod tum de vita egrederetur, quando in Philosophiae studiis progressum aliquem erat facturus.

At vero profundiorem, inquiunt, naturae notitiam iis vltro relinquimus, quibus per omnem vitam in eiusmodi studiis otiari vacat. Nobis autem, qui ad grauissimas facultates, ad Iurisprudentiam, ad Medicinam, vel ad Theologiam properamus, abunde est, primoribus labris isthaec degustasse, et extremis, vt dicitur, digitis attigisse. Praeclare quidem. At Metaphysicae studium, quod viri sapientes tanti fecerunt, atque Ethica, quae disciplina morum vitaeque ciuilis magistra habita semper fuit, omnino superfluunt? Quid multa? Honestissimas siquidem eius generis disciplinas quasi otiosas occupationes aestimant, et tanquam figmenta a male feriatis hominibus excogitata negligunt atque praetereunt. Non erat ergo, cur tam multa sapientissimus Socrates de virtutibus ac vitiis disputaret. Non erat, cur Plato atque Aristoteles tam ampla de singulis Philosophiae partibus scripta posteritati relinquerent, si in illis nihil excellens, nihil egregium, nihil denique bonae frugis inueniretur. Age vero ad medicorum scholas aduolent cursores isti studiorum. Graecas, credo, literas, quibus ipsa medendi ars principium sane debet et incrementum, intime norunt. At vereor, ne latinas quidem satis intelligant. Caelestium corporum motus, opinor, et quam in haec nostra inferiora vim habent, probe tenent. Quid ad medicum, inquiunt, sidera? Nos morborum originem eosque depellendi rationem, non stellarum ortus et occasus inquirimus. Atqui Hippocrates et Galenus, medicorum principes, hanc ipsam astrorum scientiam ad morborum curationes suscipiendas, aut etiam praetermittendas, ad crises internoscendas, ad exitus bonos vel malos praenunciandos esse maxime necessariam affirmant. Et vero paucis explicari non potest, quam multiplicem rerum notitiam postulet ars ceterarum omnium periculosissima. Quis enim ignorat, quam intimam arctamque habeat medendi facultas cum Anatomia, cum Botanica, cum Optica, cum Mechanica aliisque bonis artibus societatem? Quae si forte negligantur, nullum maius reipublicae malum, aut luctuosius communi saluti periculum accidere potest. Hinc enim fit, vt homines nullis eiusmodi studiis informati ad vsum atque exercitationem eius artis temere irrumpant, quae, cum per se sit maxime periculosa, nisi recte adhibeatur, euadit longe omnium perniciosissima. Et mirabitur quisquam, si id temporis, in tanta quidem medicorum turba, vnum plerique omnes medicum quaerant? Verum plura dixi, quam volueram, de isto hominum genere, quo cum dimicationem suscipere est valde periculosum. Illud mihi satis est, cuique ob oculos ponere, Medicinam arduam et negotii plenam esse prouinciam: nec quemquam fore, et si ingenio praestantem, qui exiguo tempore, aut modico labore assequi possit id, ad quod obtinendum superiori memoria viri ab ingenio prope facti et

optimis

optimis artibus instructissimi Helmontius, Willisius, Thakenius, Fallopius, Malpighius, Bellinus aliique plurimi spatium aetatis omne consumpserunt.

At vos iam compellat oratio mea, iuuenes naui et industrii, quos ad scientiam iuris in hoc Romano gymnasio, summo studio summaque frequentia, conuenire video. Equidem si vos aut veterem iureconsultorum sapientiam et singularem eruditionem mature spectetis, aut in eorum clarissimorum virorum, qui literis vix restitutis, ad ius ciuile exornandum omnem industriam suam contulerunt, doctrinam et multiiugem totius antiquitatis cognitionem intueamini; facile vobis erit intelligere, quarum rerum quandam veluti praecursionem a vobis postulet absolutissima iuris prudentia. Sciunt enim omnes, quanto et Graecarum et Latinarum literarum apparatu, quanto eloquentiae studio muniti ad iuris facultatem accesserint in Italia princeps et dux ceterorum, Andreas Alciatus, Tiberius Decianus, Iacobus Menochius, Guido Pancirollus; in Hispania Antonius Augustinus, Didacus Couarruuias, Antonius Goueanus, Arius Pinellus: in Gallia Guillielmus Budaeus, Iacobus Cuiacius, Franciscus et Duarenus et Balduinus, Antonius et Petrus Faber: in Germania Zasius, Siccardus, Viglius aliique plurimi. E quorum vnanimi consensu tantaque diuersarum gentium conspiratione nemo non videt, vnam omnium fuisse sententiam, ad ius ciuile amplectendum non leuem et perfunctoriam latini sermonis cognitionem et adumbratam Dialecticae tincturam, vt hodie plerique existimant, sufficere; sed cum eloquentiae et literarum studio totius anteactae notitiae memoriam atque ex omni gente collectam eruditionem requiri. Quandoquidem, vt a Dionysio Gothofredo, viro sapientissimo et de ciuili scientia optime merito, admonemur, ius ciuile Romanum, quod sanctitate legum et disciplina omnium exterarum gentium legibus et institutis praeponderat, omnia populorum iura et mores in se comprehendit. Siquis ergo ex hac tanta iuuenum frequentia existeret, qui ciuilis scientiae elegantiam et ornamenta despiceret, et apud illum clarissimorum virorum, quos paulo ante honoris caussa nominaui, auctoritates nihil valerent; imo vero satis sibi esse duceret ex Institutis, vel etiam ex Pandectis delibare nonnulla, quae ad forensem vsum maxime pertinent: hunc ego sane non legum iurisque peritum futurum esse dicerem, sed leguleium et vnum de foro rabulam. Noui equidem in hac Vrbe hominem, inter caussarum patronos minime postremum, qui ab studioso iuris adolescente contubernali suo de trita illa iuris ciuilis partitione, qua scilicet Iustinianus Caesar vniuersum ius Romanorum in quatuor libros, Pandectas, Codicem, Institutiones et Nouellas constitutiones distribuit, cum esset requisitus, obmutuit; atque ita mente turbatus haesit, vt si de aliqua Sinarum prouincia, aut vnde Nilus originem ducat, fuisset interrogatus. Quid si homo eruditus de XII. Tabulis, vnde omnis publici et priuati iuris fons promananit, de Prudentum responsis et iure non scripto, de Senatusconsultis, de Praetorum edictis, de decretis aut de epistolis Principum simili ratione fuisset consultus? Enimuero istiusmodi homines, si id quod est, fateri volumus, indigni sunt prorsus, qui sibi iureconsulti nomen et dignitatem vsurpent, cum ipsa fundamenta legum ignorent, et vberrimos iuris fontes et capita ne viderint quidem. Age vero haec omnia si mauis negligantur: in ea namque tempora delapsi sumus, in quibus eruditionis no-

 men

men forensium hominum auribus barbarum sonat: sed iurisprudentiae potius vim solidam et succum ipsum inquiramus. Enimuero quam amplum, quam immane doctrinae corpus efficiunt, quae vnius ciuilis scientiae ambitu continentur? Vt nihil dicam de amplitudine iuris Canonici, cuius quidem fines longe lateque proferuntur; nihil de innumeris Conciliorum decretis, nihil de tam multis Romanorum Pontificum constitutionibus: quae singula immensi laboris assiduitatem et non impar diuturnae vitae studium postulare nemo est, qui non videat. Huc accedit, tot iam propagatas esse in vtramque iudicii partem opiniones Doctorum, vt his vnis capiendis vix ampla bibliotheca sufficiat. Quorum sententias cum ad examen reuocari, et si quae falso obtruduntur interpretationes, expungi oporteat, facile omnes intelligunt, totos ingenii neruos et laboris vim maximam esse adhibendam. Quae cum ita sint, prodeat nunc in forum pexo capillo nitidus et barbatulus nescio quis iuuenis, qui vix leni quadam legum et iudiciorum notitia respersus, audeat tamen sese Vrbis profiteri iureconsultum: qui videlicet triduo totam, quantacunque illa est, iuris scientiam deuorauerit. Ego quidem audaciam eiusmodi propter aetatem excusari posse non dubito. Mirari tamen satis non possum, quenquam tam amentem reperiri, qui noui et inexperti hominis fidei caussam committat. Hunc quippe et rebus suis et fortunis et liberis pessime consuluisse, quis non videt? Cladem quippe subeat necesse est, qui caeco et imperito duce cum hoste confligit. Iuuenes autem, qui sic imparati ad forum accedunt, id quaeso caueant, dum iter nimium properant, ne idem, vt in veteri prouerbio est, serius absoluant. In ipsos enim optime quadrat scitum illud Diui Augustini aduersus Petilianum, iis scilicet, qui plus nimio festinant, nonnunquam vsu venire, vt vestem, aut calceos peruerse induant, quae res postea currentibus moram et tarditatem affert.

Iam vero de Theologia pauca dicam, vt inde de ceteris disciplinis coniectura amplissime fiat et iudicium. Equidem, si e tanta Theologorum paucitate, quantam esse videmus, diuinae huius scientiae difficultatem et salebras deducere fas est, nemini obscurum esse poterit, quantum amplitudine et dignitate ceteras disciplinas Theologia antecellit, tantum illam et ingenii et laboris prae aliis exquirere. Nam si rationem recte subducere velimus, pro innumeris prope religiosis familiis, quae hodie in eiusmodi studio vnice versantur, paucissimi quidem sunt, qui tam amplae facultatis non dicam membra omnia et partes, sed partium articulos absolutissime comprehendant. Nisi forte Theologos mihi nominas, disputatores nescio quos acres et subtiles, qui nihil de abditioribus sacrarum literarum oraculis, nihil de Ecclesiasticae historiae notitia, nihil de monumentis tum Graecis tum Latinis sanctorum Patrum attigerint; sed Dialecticorum instar rem omnem agunt disputationibus et clamoribus. Hos enim censoria virgula notatos e Theologorum collegio dispungit Melchior Canus, vir dignitate et doctrina clarissimus. Audite quaeso doctissimi antistitis testimonium. Intelligo, inquit, (*) fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui vniuersas quaestiones Theologicas friuolis argumentis absoluerint, et vanis inualidisque ratiunculis magnum

---

(*) *in Locis Theologicis L. VIII.* c. 1. p. *m.* 379. *vbi tamen verba vltima paulo aliter se habent.*

magnum pondus rebus grauissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum; et cum in his facrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Patribus oleat, nihil ex graui Philosophia, sed puerilibus fere disciplinis; Theologi tamen, si superis placet, vocantur. Ex qua grauissima auctoritate cui perspicuum non est, quot doctrinae praesidiis debeat esse instructus, qui praestantissimae facultati nomen dedit? Dubitari plane non potest, quin praeter magnam ingenii vim diuturno quoque labore multisque vigiliis ad tam amplam eruditionem comparandam opus sit, sine qua nemo potest iure dici Theologus. Equidem, si paulo maturius cogitemus, quae superiori aetate plena succi et sanguinis monumenta literis elegantissimis tradiderunt et Bellarminus et Sirmondus, et Petauius et Alphonsus a Castro, et Melchior Canus et Thomassinus, et Natalis Alexander aliique permulti, qui de rebus Theologicis acute simul et neruose scripserunt, compertissimum nobis erit, eiusmodi studia complurium annorum industriam, imo vero diuturnae aetatis maturitatem redolere.

Verum, quid diutius grauissimis disciplinis immoramur, cum haec nostra mitiora literarum studia, quae Humanitatem appellant, tantum sibi cum ingenii tum temporis postulare videamus? Nam praeter vniuersam illam ceterarum fere omnium artium, quam necessario exigunt, notitiam, praeter historiarum, quam Graeci et Latini scriptores memoriae tradiderunt, cognitionem, et amplissimam illam vbertatem rerum, quae eruditio dicitur; quanti mehercule laboris est dictionem sibi puram et elegantem conflare, varias dicendi notas internoscere ac multiplices sermonis formas exprimere? Quam paucorum semper fuit, orationem sic verbis et sententiis instruere, vt ad veteris eloquentiae decus et maiestatem proxime accederet? Quid vero de poetica facultate dicam, cuius dignitas plusne naturae, an arti, plus ingenio, an industriae esset tribuenda, merito viri sapientissimi dubitarunt? Atqui Virgilium, cui ingenium bene limatum et omnibus fere disciplinis excultum, septem perpetuos annos in Georgicorum libris desudasse accepimus. Neque ipse annorum duodecim, quos in diuino Aeneidum carmine insumpserat, moram satis esse putauit ad sempiterni eius operis commendationem, quo minus illud vt rem informem impolitamque testamento comburi iuberet. Quid quod Iacobus Sannazarius, poeta sane elegantissimus, tres illos aureos de partu Virginis libros viginti annorum lima perpoliuit? Nam quemadmodum Zeuxis, ille celeberrimus in tabulis pingendis morosus et difficilis, dicere solebat, se diu pingere, quod aeternitati pingeret; ita plane, quae immortalitati parantur, diu multumque cogitanda sunt, neque ante de tabula ponenda est manus, quam singula dilucida sint admodum atque expolita. Quamobrem Horatius in praeclara illa et immortali ad Pisones epistola saepissime inculcat, multa die multisque lituris esse castigandum, quod propediem in lucem est exiturum: nec quicquam fore elaboratum satis atque perfectum, quod longa mora non concoqueret, nonumque in annum non premeretur. Quae sic dicta volo, vt omnes intelligant, citra sudorem studiumque plurimum, neminem in re literaria fieri summum, nec posse paucis annis, vt stulte sibi plerique arrogant, ad veram doctrinae laudem peruenire.

At vero dicet aliquis, Picus ille Mirandulanus, cuius gloria

ria iu omnium ore et admiratione semper viuet, nonne tam breui, quo vixit, trium circiter et triginta annorum tempore id est assequutus, vt et orator et philosophus et mathematicus et theologus magni nominis esset, cum tam multa de omni fere doctrina et publice disputauerit et literis tradiderit? Quid quod praeterita aetate, vt ne longius abeam, Hugo Grotius, Daniel Heinsius, Blasius Pascalius in ipso adolescentiae flore complura in lucem ediderint, quae eruditionem minime vulgarem redolent? Profecto non negauerim, Picum aliosque permultos extitisse, qui singularis ingenii felicitate paucissimis annis eo peruenerint, quo plerique homines longo studio multaque aetate peruenire nequaquam potuerint. At vero praeterquam quod, quae paucorum felicitas est, ad commune ceterorum exemplum trahi nullo modo potest, quis ignorat, non defuisse doctos et emunctae naris viros, qui in Pico ipso Mirandulano aliquanto amplius desiderauerint, et in eo nescio quam praecocis ingenii acerbitatem culpauerint? Illud certe negari non potest, multos naeuos et maculas illius scriptis esse aspersas, quae in eloquentia et elegantioribus literis hominem immaturum fuisse ostendunt. De ceteris autem dico, homines quidem multos praeceleri feruidoque fuisse ingenio, qui scriptis editis adolescentiam suam illustrauerint: nego nihilominus, omnem in praematuris eiusmodi fructibus degustari tum ingenii tum iudicii maturitatem. Quod ne cui obtrectandi caussa, aut de gloria summorum virorum quicquam detrahendi studio dictum esse videatur, literariae Reipublicae annales quaeso percurrite. Nou pauci sane vobis occurrent viri literatissimi, qui deinde confirmata iam aetate, ad incudem ea ipsa reuocauerint, vel etiam cum pudore damnauerint, quae pridem iuuenilibus annis nimium festinanter effuderant. Hoc enim, vt antiquiores praeteream, et Laurentium Gambaram, et Petrum Bembum, et Franciscum Petrarcham, et Torquatum Tassum aliosque magni ingenii homines fecisse legimus. Nec sane mirandum; cum oculis nostris quotidie videamus, succum non habere diuturnum, quae nimis celeriter maturescunt, neque diu vigere, quae praepropere et quasi ex tempore gignuntur: contra vero arbores, quae in multas aetates mansurae sunt, altioribus humo defigi radicibus, sero crescere ac paulatim robur et firmitatem tenere.

Quae cum ita se habeant, iam intelligitis, Adolescentes optimi, quorum caussa potissimum haec omnis oratio instituta est, uihil esse solidiori doctrinae noxium magis aut inimicum, quam nimiam studiorum festinationem. Non cursorum more, sed lente, sed maturo consilio in optimis studiis est properandum. Sat cito, dicere solebat sapientissimus Cato, res fiunt, si sat bene. Quid autem vobis ad scientiae exitum celeriter peruenisse proderit, uisi illius membra omnia et partes plene cumulatèque teneatis, aut in ea quid primo, quid postremo loco sit, haud satis percipiatis? Agite itaque rem vestram nauiter, et ad quam semel animum appulistis disciplinam, ad eam diligenter constanterque incumbite, quousque illam a vobis reuera possideri et vtilitatis et gloriae vestrae fundum fieri contingat.



DE

DE
EXPEDITA DISCENDI RATIONE
ORATIO VIII.
HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS AN. MDCCXIX.

Cum anno superiore ex hoc ipso loco eam, more maiorum, orationem haberem, in qua quotannis quispiam de dignitate ac praestantia bonarum artium praefari solet; illud, si meministis, contendebam, in optimis studiis lente quidem esse festinandum; nec studiosae iuuentuti quicquam esse perniciosium magis, aut inimicum, quam paucissimis anuis grauissimarum disciplinarum studiis immorari, quae multum et temporis et laboris omnino requirunt. Quod argumenti genus his plane temporibus necessarium etsi sapientissimis, qui aderant, viris probatum fuisse, certe scio; non defuerunt tamen aliqui, qui inde occasionem obtrectandi arripuerint: quasi vero, proposita hac tanta studiorum difficultate, iuuenes ab suscepto eorundem cursu retardari et magnos illos, quos ad Academiam attulerant, animos despondere contingat. Quorum opinio tametsi et ratione et communi experimento refutari facile possit; cum compertissimum sit, quae obuia et vnicuique exposita maxime sunt, homines ea negligere atque contemnere; ad illa vero, quae ardua et multo difficillima, eos fortiter aggredi et maiori studio et voluntate duci: malo tamen mitiori eiusmodi hominum ingenio indulgere, quam erga ipsos durior, aut parum officiosus videri. Temperabo itaque hoc anno austeram illam dicendi rationem, et molliori suscepto argumento, tyrones milites, si qui forte seueritatis metu a nobis olim dilapsi sunt et in fugam coniecti, ad musarum castra hodierno die reuocare conabor. Quare aditus quosdam breues admodum et expeditos cupidae literarum iuuentuti indicare statui, per quos, si velit, propere possit ad veram doctrinae laudem peruenire. Haec autem ne quis forte dici putet adulandi studio, aut ostentandi ingenii caussa, quod a natura mea semper abhorruit, nihil de meo proponam: sed presso pede summorum virorum vestigia persequens, quem ipsi tenuerint breuissimum discendi cursum, ostendam. Sic enim omnes intelligent, non me meo consilio, sed ipsos veteres sapientiae magistros, hoc vnum expeditissimum muniuisse ad doctrinam iter, quo nullum possit aut magis certum, aut compendiosius excogitari.

Duo sunt omnino, quantum ego intelligo, quae cum in omni vita, tum praesertim in bonarum artium studio plurimum valere, maiores nostri semper existimarunt, amor nimirum et diligentia. Quorum alter animum excitat, et subiectis veluti facibus ad agendum inflammat: altera vero facit, vt id, quod eximium et laude dignum, homines magno connatu summoque labore assequantur. His quidem ducibus ad optimas disciplinas iter facile et expeditum maioribus nostris semper patuit. Hanc vnam illi breuem et rectissimam ad literarum studia viam nobis tritam reliquerunt. Amor scilicet, amor

mor doctrinae fuit, qui Platones, qui Aristoteles, qui Archimedes, Hippocrates, Papinianos aliaque clarissima scientiarum lumina olim peperit, et ad gloriam extulit sempiternam. Putant nonnulli; et falso quidem, aetatis nostrae ingenia tardiora esse atque hebetiora, quam antiquorum fuerint. Putant, effoetam iam esse naturam, et magnorum ingeniorum semina penitus interiisse. Cum enim videant nostris hisce temporibus tantam adolescentium frequentiam in literario puluere desudare: nihilominus paucos admodum singularis doctrinae palmam referre: nullumque memoria nostra existere, qui scientiae gloria cum antiquis decertare audeat: nullum, qui in poetica facultate cum Homero, aut Virgilio, nullum, qui in eloquentiae castris cum Demosthene aut M. Tullio sit conferendus; in eam facile suspicionem veniunt, idcirco veteres tantopere excelluisse, tantoque nos ab illis doctrinae interuallo distare, quod aureo saeculo nati sint primo naturae partu, cum vis seminis esset acerrima et terrae benignitas tanta, vt centesimis semper et cum anatocismo responderet. Nos autem deteriori aetate, cum iam solum lassum et emaciatum est, exortos non aequalem mentis aciem, neque eandem ingenii vim, aut perspicaciam habere. Quae si vera essent, liceret vtique nobis de natura grauissime conqueri, quod erga nos non parentem egisset, sed nouercam; quodque illorum mentibus ingenii florem instillasset et succum, nobis autem quisquilias et porriginem reseruasset. At vero cum ex multis, quae hoc nostro tempore longe subtilius inuenta sunt, aut quae ingeniosius quam antiquis temporibus pertractantur, facile sit intelligere, non tardiora nunc esse, quam olim fuerunt ingenia; cum insuper et plura et vberiora nobis quam illis praesto sint ad discendum subsidia, quid aliud tandem in caussa esse dicemus, nisi quod nos non eodem amore, neque eodem, quo veteres, studio honestissimas disciplinas prosequamur? Et quidem incredibile ac prope Immensum erat illorum in perscrutanda veritate desiderium; atque adeo inexplebili sciendi cupiditate conflagrabant, vt nihil tam arduum, nihil tam alte positum, ad quod eorum diligentia et industria non peruaderet. Non inauditum aliquid, aut in hoc genere nouum dico. Plena sunt historiarum monumenta, plena vetustatis exempla, plenae omnium gentium literae. Quis enim ignorat, Aristotelem hoc ipso discendi studio inflammatum annos viginti perpetuos diuinum Platonem sic audiuisse, vt ne vnam quidem interim eius lectionem praetermisisse dicatur? Quis ignorat, Platonem ipsum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram aliosque bene multos, summo vitae incommodo, maxime diuersas ac remotas regiones peragrasse, vt ampliorem sibi doctrinae censum compararent? Quid quod Euclides, ille Megarensis auditor Socratis, tanta sciendi cupiditate incenderetur, vt eius rei caussa capitis etiam periculum adire saepissime non dubitaret? Nota res est, et apud omnes gentes satis superque peruulgata; digna tamen, quae saepius repetatur, et ad omnem posteritatis memoriam summis laudibus efferatur. Cauerant Athenienses edicto, vt si Megarensium quispiam pedem Athenas inferret, ei capitale fieret. Euclides autem, qui Megaris natus, quique antea et esse frequenter Athenis et Socratem audire consueuerat, tantum hinc accepit dolorem tantamque animi aegritudinem, vt mori satius quam ab ipso Socrate diutius abesse duceret. Quid ergo consilii ceperit, quaeso animaduertite. Sub noctem homo sagax et acutus muliebri stola et pallio ornatur,

natur, ac feminarum more capillis reticulo collectis, Athenas per summum vitae discrimen ad Socratem adit; quodque mirandum magis est, rursus sub lucem millia passuum prope viginti eadem illa veste tectus domum commigrabat. Quis summam hominis constantiam non admiratur? Quis discendi ardorem incredibilem non videt? Quantum autem fuisse putabimus sciendi desiderium, quod hominem domi suae nobilem a quiete nocturna, a Diis penatibus tectisque patriis, ab omnibus vitae commodis distraheret, et tam apertum capitis periculum subire saepius impelleret? Si reuera idem nobis esset erga literas amor, si eadem discendi cupiditas, dubitandum non est, quin magni nunc quoque in omni disciplinarum genere progressus fierent. Non esset profecto, cur aetas nostra heroicis illis temporibus tantopere inuideret, in quibus praestantissima ac prope diuina ingenia floruisse miramur. Non deessent in vnaquaque aetate Platones et Archimedes, non deessent Demosthenes et Tullii, si eorum studium ac diligentia minime deessent. Et quidem altero abhinc saeculo tot in omni facultate exstiterunt viri clarissimi, qui vt veteres illos sapientiae antistites ingenio superare haud potuerint, ad eorum tamen gloriam quam proxime quidem accessisse videntur. Necesse non est hic vobis ad memoriam reuocare Scaligeros, Sigonios, Lipsios, Grotios, Galilaeos, Cuiacios aliosque complures, qui magna cum ingenii laude et singularis doctrinae fama floruerunt. Quot praeterea fuere praeclara eruditione adolescentes, qui in ipso aetatis flore quasi canescere, et doctrinae maturitatem quandam ac senectutem habere visi sunt? Nolo in illis nominatim recensendis immorari, cum praesertim in oculis omnium sint euulgata ab Adriano Bailletto, viro clarissimo, monumenta, quae ex omni fere literarum memoria collegit de vnis adolescentibus, qui studiis scriptisue editis inclaruerunt. Quid autem illis tantum animi tantumque virium dedit, vt imbecilla aetate grauissimas disciplinas profiterentur, et puerilem praetextam cum philosophorum pallio commutarent? Doctrinae profecto amor fuit, qui eosdem impulit, incitauit, et, quemadmodum poeta ait, alas addidit, vt festinato cursu et incredibili velocitate ad amplissimae gloriae fastigium properarent. Equidem nihil est, vt M. Tullius affirmat, quod studio et amore effici non possit, nihil tam arduum, tam eminens, quo amor eniti non valeat.

Quanta vero fuerit eiusmodi vis amoris, quantaque cupiditate homines sapientissimi ad optimarum artium possessionem aspirauerint, nullo sane luculentiori argumento dignosci posse crediderim, quam vt videamus diligentiam prope incredibilem, qua eosdem doctrinae assequendae caussa vsos fuisse ex annalium testimonio accepimus. Cum enim probe perciperent, inane esse ac perridiculum illud sciendi desiderium, quod cum summa industria ac diligentia minime coniungeretur; nulla erat difficultas, nulla vis, nullum incommodum, quo ipsi ab instituto studiorum cursu retardarentur; et quo minus perpetuos dies noctesque scriberent, aut sese immensis lectionibus occuparent. Quamobrem Cicero ad Atticum scribens de se ipso testatus est, incredibile esse omnino quantum scripserit die, quin etiam noctibus. Nihil enim, inquit, est somni. De Aristotele autem Laertius memoriae prodidit, eius libros ad quadringentorum paene numerum peruenisse, de quibus nemini sit ambigendum, praeter complura alia volumina, quae ipsimet tribui soleant. Quid vero de Galeno, medicorum principe, dicam,

dicam, quem libros de re medica quadringentos, de aliis autem disciplinis ducentos quadraginta conscripsisse, auctor est Ioannes Fernelius? Quid de Ser. Sulpicio, viro summo atque doctissimo, quem iuris ciuilis scientiam centum et octoginta voluminibus illustrasse accepimus? Quid demum de Aristarcho Grammatico, qui de multiplici reconditaque eruditione commentarios supra mille literis consignauit? Vt nihil de Theophrasto, nihil de Didymo Alexandrino loquar, quorum ille trecenta volumina, hic vero quatuor millia posteritatis memoriae mandasse dicitur. Quae quidem, vtcunque vera sint, certe sanctissimus Ecclesiae Doctor Hieronymus se librorum Origenis sex millia non vidisse modo, verum etiam perlegisse affirmat. Quocirca in altero scribendi labor, in altero autem legendi studium admirationis habet plurimum. Quamobrem omnes iam, puto, satis intelligunt, quo maiores nostri cursu ad solidam doctrinae laudem venerint: quo animi ardore, vigilantia, assiduitate, vtque omnia vno verbo complectar, qua diligentia in optimis studiis se gesserint; omne sibi tempus periisse rati, in quo aliquid non didicissent: adeo vt fama sit, Catonem Vticensem, virum celeberrimum, in ipsa quoque Romana curia, dum Senatus cogeretur, Graecos libros lectitare consueuisse. At nostra aetate iuuenes, qui non labori, sed otio, non vigiliis, sed somno, non libris, sed ludis libentissime vacant, literas tamen se amare et in deliciis habere profitentur. Imo, quae incredibilis amentia est, cum laborem et industriam fugiant vt nihil supra, ita tamen sibi de suo ingenio blandiuntur, vt viros perquam doctos et literatos se posse fieri sibimet stultissime persuadeant. Enimuero nobis etiamsi suadeant, vt ait Comicus, non persuadebunt. Nam quae maior excogitari potest temeritas, quam oscitanter et quasi per otium id velle assequi, ad quod obtinendum maiores nostros tot labores suscepisse videmus? At dicet aliquis: non pauci iuuenes praeceleri praediti sunt ingenio, et memoriae vi multa pollent. Quasi vero maiores homines natura tardi atque ingenio hebetes fuerint. Quem autem vnquam post homines natos inuenias, qui cum Pythagora, cum Platone, cum Aristotele, cum M. Tullio ceterisque eius disciplinae viris sit ingenii praestantia et amplitudine conferendus? Quam ergo illi sibi sapientiae laudem diu multumque laborando compararunt, hanc tu homo ingeniosior minimo negotio, vel etiam, si Diis placet, paucissimis diebus referes? O ridicula capita! O stultitiam singularem! At longius iam, quam par erat, progressi sumus. Vt finem dicendi faciam, ad vos, quotquot adestis, ingenui Adolescentes, se conuertit oratio mea: vos magnopere hortatur atque obsecrat. Si maiorum gloriam aemulamini, si dignitatem literatorum hominum, quod sane praeclara vestra indole dignissimum est, praeoptatis; eorum pariter in discendo ardorem, eorum labores et studium, eorum diligentiam atque industriam imitari velis remisque contendite. Breue profecto vobis atque expeditum patebit ad doctrinam iter, si eorundem vestigiis insistere vos minime pigeat. Magnum quidem et arduum negotium suscepistis: non inficior. Sed illud primo cogitate: nihil esse amanti difficile, nihil arduum, nihil imperuium. Volat, vt aiunt, amor, si quo aliter peruenire non possit. Deinde tantam esse sciendi voluptatem, vt omnis studiorum labor suauissimus fiat; atque etiam saepe, licet sit reuera durus et diuturnus, minime tamen sentiatur.

DE

DE LAVDIBVS LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS PARENTALIBVS

ORATIO IX.

HABITA III. IDVS FEBRVARII AN. MDCCXXII.

Sanctiss.

****

Sanctissimo Domino Nostro

INNOCENTIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

PAVLINVS A S. IOSEPHO
SCHOLARVM PIARVM.

ORATIONEM hanc, quae de argumenti magnitudine dignitatem sibi aliquam comparauit et ornamentum, supplex, et qua maxime decet veneratione, tibi offero, Innocenti, Pontifex Maxime. Quod plane volens lubensque facio, cum ea, quae in Leone X. suspeximus et admirati sumus, in te quoque et virtutum similitudine et supremae, quam sustines dignitatu maiestate, mirifice conspirare videamus. Etenim quis non intelligit, constituta esse auspicatissimi tui initia principatus ea ipsa duo, quae Leonis nomen immortalitati maxime commendarunt, amorem scilicet et maiestatem? Humanitas quippe illa singularis et amor eximius, qui in te tuaque clarissima familia non tam innutritus esse videtur, quam innatus penitus atque insitus, nihil de Pontificia Maiestate tua detrahit, imo vero ornat gloriosius. Proinde in Apostolicae dignitatis auctoritatem et decus dum omni cogitatione curaque incumbis, vrget interea animum tuum populorum amor et Patriae caritas: cuius inopiae subleuandae et publica vectigalia imminuta et alia plura commode opportuneque prouisa vidimus Ex quibus sane faustissimis regni auspiciis cur eam nobis reducem felicissimam aetatem non ominemur, quam plane beatam atque auream suis temporibus Leo X condidisse dicitur? Quod enim ille in omni vita sua, vt Paulus Iouius scribit, id praecipue spectauerit, vt benefaciendo et promerendo ab omnibus hominum ordinibus amaretur, nemo est, qui te in eiusmdi beneficentiae studio Leonis simillimum esse non videat: cum erga omnes, qui de rebus tuis vel minimum meriti sunt, gratissimum animum beneficentissimumque probaueris. In hoc tamen vno te Leonis omnino dissimilem fore optamus, vt videlicet quam ille felicitatem e viuis immature praereptus breuem admodum et caducam fecit, eam Sanctitas tua, ad populi Romani votum et ad commune Ecclesiae bonum, diu incolumis nisi immortalem, at diutissime duraturam exhibeat.

CUM de Leone X. Pont. Max. praeclarisque eius laudibus, in hac tanta literatorum hominum frequentia, verba de more facere meditarer, et dubius animo haererem, quid eligi potissimum ad dicendum posset, quod et immortali Viro dignum, et a maiestate huius loci non alienum esse videretur; nouae quaedam admirabilesque virtutum species cogitanti mihi occurrebant. Obuersabatur quippe ante oculos regia illa atque excelsa animi magnitudo, qua Leo X. in omni vitae statu tanto se ceteris mortalibus superiorem exhibuit,

hibuit, quanto et nobilitate generis et dignitate fortunae ceteros anteibat. Occurrebat quoque beneficentia illius et liberalitas paene incredibilis; qua factum eſt, vt ea tempeſtate auream aetatem poſtliminio ab ipſo renocatam homines ſibi gratularentur. Rapiebat animum ſumma eius et quaſi diuina in aduerſis fortiter ferendis conſtantia; prudentia et ſagacitas in agendis ſingularis, ſapientia denique ab ineunte aetate tam eximia atque admiranda, vt in ipſa adoleſcentia ea virtutis et dignitatis praemia pracoccupauerit, quae alii vix extrema conſequuntur ſenectute. Ex quibus ſane tot tantisque virtutibus etſi nullam eſſe intelligebam, quae argumenti magnitudinem quandam et nouitatem non prae ſe ferret; nihil tamen mihi tam nouum inuſitatumque viſum fuit in omni Leonis X. vita, quam videre maieſtatem in eo vna cum amore fuiſſe coniunctam. Hoc mihi profecto perquam rarum apparuit maximeque admirandum. Quandoquidem veterum poetarum iudicio, tum etiam communi hominum ſermone percrebuit: non bene conuenire, neque in vna ſede morari poſſe amorem et maieſtatem. Sed ex hac ipſa rei nouitate, vnde breuiſſimae orationis meae argumentum erit, vos PP. ampliſſimi facile intelligetis, quid de virtute ac ſapientia Leonis X. iudicandum, cum ea, quae quaſi oppoſita difficillime coniunguntur, in ſe vno ipſe feliciter perpetuoque copulauerit, amorem ſcilicet et maieſtatem.

Neſcio quo fato fieri dicam, vt plerique mortalium, quos auitae nobilitatis ſplendor, aut honoris dignitas et amplitudo ſupra ceteros extulit, adeo ſtatim ſupercilium attollant ceterosque faſtidiant, vt ipſi non ex hominum numero, ſed quaſi e Deorum concilio delapſi eſſe videantur. Putant nimirum cum imperii maieſtate eas lo-cum obtinere non poſſe virtutes, quae quaſi communes et populares habentur, humanitas ſcilicet, benignitas, ſermonis facilitas atque manſuetudo. Putant de dignitate ſibi detrahi plurimum, niſi ſuperbia et faſtu a ceteris internoſcantur. Ex qua profecto falſa hominum opinione natum fuiſſe arbitror per uulgatum illud prouerbium, honores nempe in mores mutationem inducere. Longe tamen aliter Leo X. in omni vitae ſuae fortuna ſtatuit. In tanta enim domeſticae gloriae amplitudine, in tot ſummis maximisque honoribus conſtitutus nunquam ſe hominem eſſe oblitus, et nihil humani a ſe alienum eſſe putauit. Proinde quemadmodum natura in eius ore atque oculis grauitatem quandam cum incredibili benignitate coniunxerat; ita virtus et praeclara maiorum exempla illius animum ad humanitatem ſic informarunt, vt auctoritas cum gratia, amor cum maieſtate veluti inito foedere conſociarentur. Nam praeterquam quod in ea fuerat ampliſſima domo educatus, vnde ſuperbia et audacia, vt Paulus Iouius ſcribit, penitus excluſis, verae munificentiae iucunditatis, elegantiae virtutumque omnium cunctis officina patebat; duo praeterea ſibi prae oculis erant domeſticae gloriae lumina, magnus videlicet Coſmus et Laurentius pater, quorum alter, ob praeclara erga rempublicam merita, Pater patriae, publici amoris decreto, appellatus fuerat, alter ob ſingularem beneuolentiam et caritatem non modo ſuorum ciuium, verum etiam totius Italiae deliciae atque amor aeſtimabatur. His ergo praelucentibus ſibi maiorum exemplis, non obſcure intellexit Ioannes Medices, principibus viris nihil eſſe glorioſius, quam dignitatis maieſtatem humanitate ac beneuolentia temperare. Cum itaque in ipſo aetatis flore ab Innocentio VIII.

 Cardi-

Cardinalis, deinde etiam paulo post Legatus totius Etruriae renunciatus fuisset, in ea amplitudine dignitatis ita se gessit, vt incertum fecerit, plusne admirationis haberet adolescentem videre tanta prudentiae laude ornatum tantaque morum grauitate compositum, an vero cum ea, quam sustinebat, Ecclesiasticae personae auctoritate tantam ingenii suauitatem humanitatemque coniunctam. Permirum sane videbatur, homini adolescenti ad maximas imperii difficultates expediendas, et ad consilia cum de rebus priuatis tum publicis capienda, parem inesse animi maturitatem atque prudentiam. Sed admirationem huiusmodi superabat, quod non tam Legati auctoritatem, quam optimi ciuis amorem erga omnes studiumque patefaceret. Quo plane miraculo factum est, vt per Etruriam vniuersam eius sapientiae fama nomenque celebraretur; et non modo singulae illius prouinciae, ciuitates, honores ei publice statuerent, sed ii quoque omnes, qui ex tanta Mediceorum gloria inuidia dudum disrumpebantur, eximiam eius virtutem admirari coeperint atque amare. Vsque adeo singularem sibi conciliat gratiam virtus cum dignitate coniuncta.

At fortasse mirandum non est, quod ciues inuidos et inimicos humanitate ac beneuolentia deliniret, cum efferatos quoque militum animos in sui amorem pertraxerit ac venerationem. Ardebat iam multos annos Aemilia prope vniuersa bello teterrimo ac periculoso. Vastati vbique agri, succensae domus, direptae bonorum fortunae; atque Vrbes ciuilibus odiis magis quam bello conflagrantes partim a Romani Pontificis imperio defecerant, partim in exterarum gentium potestatem aut vltro se dederant, aut vi armisque redactae fuerant; omnia postremo armorum terror ac belli furor innaserat. Vt igitur tot tantisque malis, quibus iampridem diuina atque humana omnia permiscebantur, Iulius II. Romanus Pontifex tempestiue occurreret, ad arma veniendum esse putauit, agendumque vi et gladio, vbi religione contempta, neque paternae reuerentiae dignitas, neque Romanae Sedis auctoritas valuissent. Comparato itaque instructissimo longe omnium exercitu, Ioannem Medicen Cardinalem ad eam prouinciam Legatum Apostolicum renunciauit. Qua quidem ardua ac periculorum plena legatione suscepta, Ioannes ita non modo fidem suam, operam diligentiamque eidem Iulio, acris sane ingenii ac iudicii viro, probauit, sed tantam etiam apud omnes existimationem obtinuit, vt milites ipsi Ioannem Medicen non legatum ex hac vrbe missum, sed hominem quasi de caelo delapsum intuerentur. Quoties enim prodiret in publicum, quoties in conspectu exercitus staret, tantus fieri solebat centurionum ac militum concursus sacram purpuram manu tangere atque osculari cupientium, vt nimia pietate signa deseri, et quasi dissolui militares ordines viderentur. Vnde autem tam praeclara atque insignis hominum opinio? Vnde tam illustria religiosae venerationis officia? Opinentur sane alii, tantam fuisse in ea legatione Ioannis sapientiam, tantum consilium, pietatem ac religionem, vt non immerito omnium erga se studium excitauerit atque amorem. Ego profecto non repugnabo; cum proditum sit memoriae, pecuniam saepe ad licentiam militum coercendam eorumque explendam cupiditatem, illum summa liberalitate impertiuisse; imo etiam aliquando sese vulneribus obiectare non dubitasse, vt matronarum dignitati, aut virginum pudori consuleret. Verum sic existimo, etsi nihil ceteris virtutibus detrahendum esse videtur, negari tamen non posse, quin beneficentia atque amore

amore omnium ſibi ſtudia ac venerationem promeruerit. Auctoritas enim cum gratia, vt Stoicus inquit, homines non ſolum amabiles, ſed venerabiles efficit. Quamobrem etſi imperatoria dignitas milites continet; ita tamen continet, vt imperatorem aut metuant, aut oderint. Imperii autem maieſtas cum beneficentia ad obſequium pariter atque amorem impellit.

Quid vero diutius obſequia militum demiramur, cum et hoſtis, qui natura tum etiam victoria inſolens ac ſuperbus erat, Ioannem Medicen imperio exercituque ſpoliatum ſumma religione colat ac mirandum in modum veneretur? Nam ingenti a noſtris calamitate ad Rauennam accepta, caeſoque ex maiori parte exercitu, cum Legatus ipſe, qui in hoſtium poteſtatem venerat, Mediolanum captiuus et quaſi per triumphum ductus fuiſſet, nequaquam tamen animo concidit, nec dignitatis, qua praeditus erat, maieſtatem abiecit. At ſereno placidoque vultu milites alloquutus, tam graniter ſapienterque Romani Pontificis cauſſam egit, vt Piſani Concilii improbitate damnata, totus ille in Iulii Pontificis odium concitatus exercitus errorem agnoſceret ſuum, ac ſupplex veniam deprecaretur. O ſingularem hominis virtutem! O ſapientiam admirabilem atque omni laude, praedicatione, literis monumentisque decorandam! Deſinant veterum annalium hiſtoriae ſummis laudibus ad caelum extollere Scipiones Africanos, Iulios Caeſares, Cn. Pompeios aliosque clariſſimos Imperatores, quod clementia et inuſitata quadam imperii dignitate, non ſuis tantum, ſed hoſtibus etiam diuini quodammodo ac venerabiles eſſent. Illi ſiquidem victores gentium, expugnatis vrbibus ac prouinciis igne ferroque ſubactis, vi et armis ſuam et Pop. Rom. maieſtatem vindicabant. Quod vero Ioannes non imperio munitus, non exercitu inſtructus, non victor, ſed victus ſed captiuus Apoſtolicae dignitatis auctoritatem propugnauerit, quod armatae multitudinis animos non armorum terrore ac minis, ſed benignitate atque humanitate deuicerit, et ad Romani Pontificis voluntatem deduxerit, quis pari eloquentia explicare poterit? quis vnquam ſatis pro dignitate laudare?

At maiora nobis occurrent amoris et maieſtatis argumenta, ſi Ioannem ipſum ad Vaticani faſtigium iam euectum et magnanimo Leonis nomine decoratum contemplemur. Quid enim magnificentiſſimus ille apparatus atque ea ſolennis pompa, qua Pontifex ſalutatus ad Baſilicam Lateranenſem primo perrexit; tanto videlicet Purpuratorum Patrum ſplendore, tot clariſſimorum Principum comitatu ac tam incredibili hominum concurſu, vt a Gothicis temporibus Romae nec illuſtrius, nec magnificentius ſpectaculum viſum fuiſſe Paulus Iouius teſtetur? Hoc autem totum etſi ad illius maieſtatem referri debet, amoris tamen ſingularis argumentum certe fuit ſparſa a Quaeſtoribus per omnes Vrbis regiones aurea et argentea pecunia tam liberaliter effuſeque, vt centum millibus aureis eam liberalitatem Pontifici ſtetiſſe, Quaeſtores ipſi faterentur. Quid praeterea veteres paternae domus inimici, omnes ſtatim in gratiam perhumaniter recepti, quorum alii e longinquis regionibus, vbi miſere degebant, benigne euocati ſunt et re familiari atque honoribus aucti; alii e vinculis, quibus detinebantur, ſoluti ac libertati patriaeque cumulatiſſime reſtituti? Intelligebat enim Pontifex ſapientiſſimus, nihil eſſe tam regium, vt M. Tullius inquit, tam liberale tamque munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. Intelligebat, nihil eſ-

 ſe

se laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate et clementia.

Dum autem mente mecum ipse reputo, quae Leo X. in absoluendo Lateranensi Concilio, quod iampridem Iulius Pontifex inchoauerat, opportune sapientissimeque constituit; dubius plane haereo, maioremne in eo sibi partem vindicauerit amor, an vero maiestas: imo vt verum fatear, magnum et acre video dissidium inter amorem et maiestatem, vtri videlicet gloriae tribuendus sit principatus. Nam etsi fraenata sanctissimis legibus nefariorum hominum audacia, spoliati iure imperii principes perduelles, sancita plurima cum potentissimis regibus foedera, instructae ingentes classes, repressi conatus atque arma Selymi, crudelissimi Turcarum Imperatoris, et sexcenta alia grauiter prouidentissimeque constituta increbilem Leoni X. conciliauerint maiestatem: cum tamen nemini dubium sit, quin ille haec omnia cogitauerit atque perfecerit, ob summum Christianae religionis propugnandae amplificandaeque studium, quo nimirum vehementissime incensus nuncios et epistolas misit tum ad Abyssinorum regem, tum ad magnum Moschorum ducem, tum etiam ad alias plurimas remotissimas Asiae gentes, vt detersa, si fieri posset, errorum labe, in Ecclesiae Romanae sinum reciperet vniuersas; quis facile diiudicare possit amorine, an maiestati magis sit tribuendum? Quod autem ad tollendas e Christiana republica turbas, iis omnibus veniam indulgeat, qui turbulentissimis factionibus Iulium II. diu obstinateque vexauerant; quod Caruaialem et Sanseuerinum, perduellionis reos, ab ipso Iulio Pontifice Purpurae dignitate et sacerdotiis omnibus expoliatos summa clementia paternoque amore complectatur et ad omnem pristinae dignitatis splendorem restituat: in hoc sane dedit praeclarum amoris sui testimonium. At enim, ex amplissimo senatu, nescio quem maiestatis reum, plane conuictum, more maiorum a Leone X. fuisse multatum, testantur historiae. Ita profecto: at vero vindicis maiestatis poenas amor quidem excepit. Quandoquidem in ipso capitalis sententiae die vnum atque triginta Cardinales, viros ex omni prope natione virtute, doctrina nobilitateque clarissimos summa et inusitata liberalitate cooptauit. Quo quidem tam amplo atque illustri senatorum delectu non modo populo Romano, sed omnibus fere gentibus singularem suum probauit amorem ac voluntatem beneficentissimam.

Verum populo Romano beneficentia huiusmodi communis quidem cum ceteris gentibus intercesserit. Quis autem dicendo complecti valeat, quibus maximis eundem beneficiis cumulauerit eiusque nomen ad sempiternam posterorum memoriam illustrauerit? Mitto publica vectigalia imminuta, praetereo Triumuiralem Conseruatorum Vrbis potestatem amplificatam, nihil loquor Romanos ciues cum praemiis tum immunitatibus priuatim publiceque donatos et alia plurima, in quibus plane amor cum maiestate triumphare visus est. Quantum vero splendoris atque amplitudinis hanc Vrbem consequutam fuisse putabimus, tot viris ingenio, doctrina sapientiaque clarissimis ab eo Romam, magnis propositis praemiis, euocatis; ex quorum domicilio Roma ipsa, vt olim de Athenis fama est, disciplinarum omnium altrix et mater facta esse videbatur? Negari profecto non potest, quin ex florentissimis hisce ingeniis aurea illa literarum aetas, quae Augusti aeuo floruisse dicitur, Leonis beneficentia in hac ipsa Vrbe restituta populum Romanum ad veteris gloriae possessionem, vnde

a Go-

a Gothicis vsque temporibus turpiter deiectus fuerat, ampliſſime reuocauerit. Quamobrem mirandum non eſt, quod idem Romanus populus ſolenni ordinum omnium decreto ſtatuam marmoream optimo liberaliſſimoque Pontifici in Capitolio dedicauerit, vt gratiſſimi animi ſui ſtudium et immortales gratias publici amoris monumento profiteretur.

Iam vero temporis anguſtia eo me ductum video, vt vela colligere neceſſe ſit, et quaſi in medio orationem abrumpere. Vnum tamen, de quo et parentalia haec ſacra et ampliſſimi huius loci parietes me quodammodo admonere videntur, praeteriri nullo modo poteſt; hoc ipſum ſcilicet Romanum Archigymnaſium a ſapientiſſimo Pontifice tam ſplendide, tam magnifice reſtitutum. Qua quidem in re quantum magnanimi Principis regia beneficentia effulgeat, cui tam rude, aut tam plumbeum ingenium, vt non agnoſcat? Reſtitutis enim optimis diſciplinis, nonne vberrimos in hac Vrbe recluſit fontes, vnde tum populus Romanus, tum ceterae gentes et ornamenta pacis et belli praeſidia perpetuo ſibi compararent? Quod autem illuſtrius paterni amoris indicium, quam ſingulari eiusmodi beneficio non praeſentibus tantum prodeſſe, ſed poſteris, non vni ciuitati, ſed terrarum Orbi prope vniuerſo? quanta vero Pontificiae maieſtati dignitas, quantus Romanae Vrbi ſplendor ex hac doctiſſimorum virorum palaeſtra acceſſerit, quis dicendo paucis complecti valeat? quot enim in omni aetate ex grauiſſimo iſto magiſtratu, ex his ſubſelliis, homines eximia virtute ac doctrina ornati ad ſacras infulas, tum etiam ad Romanae purpurae dignitatem fuerunt euecti? Quamobrem etſi cetera omnia argumenta deſint, hoc vnum tam regium, tam munificum ſapientiſſimi Pontificis opus longe quidem melius quam mea dicendi imbecillitas ad omnem poſteritatis memoriam praedicabit Leonem X. virum beneficentiſſimum, parentem Orbis amantiſſimum vnoque verbo, Principem amoris plenum et maieſtatis.

DE INGENIORVM DELECTV AD STVDIA LITERARVM HABENDO.

ORATIO X.

HABITA IV. IDVS NOVEMBRIS AN. MDCCXXIV.

NEMO vestrum ignorat, quid valeat, quantamque vim habeat cum in homine, tum in ceteris animantibus diſciplinae ratio atque induſtria. Nam vt de equorum ingenio, qui in oculis noſtris aſſidue verſantur, nihil dicam, qui etſi primo

primo furentes et effrenes nullius imperio regi posse videntur, ita tamen paulatim domitoris industria atque arte flectuntur, vt omni ferocitate posita admirandam plane docilitatem induant; quid est, quod psittacos picasque docuit humanas voces expedite reddere, et quasi hominum more, vt Plinius inquit, sermocinari? Mens autem hominis per se rudis. et, quemadmodum Aristoteles ait, quasi nuda pictorum tabula, si studium accesserit et disciplina, nonne ad id sapientiae peruadit, vt nihil tam arduum sit, quo non pertingat, nihil tam sublime, quod assequi minime valeat? Quo quidem in genere vt cetera, quae ad literarum studia nequaquam pertinent, recordari omittatis; quid Platones et Archimedes, ingenii principes ac doctrinae, quid Homeros et Virgilios, clarissima poetarum lumina, quid demum Hippocrates et Galenos, medicorum signiferos, eo dignitatis et gloriae prouexit, vt de illis sine laude dicere nemo possit, eosque homines quasi diuinos et ad nos erudiendos e caelo missos omnis posteritas venere tur? Industria nempe fuit et diligentia, qua animi et ingenia mortalium mirum in modum excoluntur, et quae a studio bonarum artium honestissimo seiungi ac dimoueri nullo modo potest. Hinc enim accepimus immensos eorum labores, diuturnas vigilias, permolestas peregrinationes, creberrima itinera et sexcenta alia doctrinae caussa incommoda vitae suscepta: vt facile diiudicari non possit, vtrum plus industriae, an ingenio accepta referri debeat eorum tota quanta est sapientiae ratio et amplitudo. Quanquam autem in labore et industria sita tanta vis est, vt nihil supra; vndenam fit, vt in optimis artibus addiscendis haud raro summae contentioni et complurium annorum industriae nullus, aut certe exiguus doctrinae fructus respondeat? Sentiant alii, quod volunt. Ego quidem semper in ea sententia fui, nec ad literarum studia omnia ingenia apta esse, nec ad singulas disciplinas singula ingenia. Atque hinc fieri non dubito, perplures adolescentes in literarum cursu labore quidem maximo ac diuturno defatigari, at vix mediocrem aliquem, pro eiusmodi conatu ac diligentia, progressum facere. Qua quidem in re quia multos esse intelligo, qui cum magno liberorum suorum incommodo, tum etiam summo rei literariae damno misere hallucinantur, me operae pretium facturum existimaui, si in hoc primo studiorum aditu ea in medium afferem, quae et falsam eorum opinionem conuellerent, et ingeniorum delectum ad literarum studia maxime necessarium esse demonstrarent.

Quod autem sint semperque fuerint homines sic mente et ingenio destituti, vt ad optimarum artium studia inepti prorsus existant, nemini obscurum esse arbitror. Quemadmodum enim natura non omnibus agris fertilitatem est impertita, sed infoecundos sterilesque nonnullos deseruit, qui, quocunque labore aut industria excolantur, frugem nullam afferunt: ita iuuenum ingenia aliquando videas sic effoeta atque arida, vt ab iis nullus doctrinae fructus sit expectandus. Eiusmodi olim fuisse siue caeli atque aeris crassitie, siue alio quouis eius regionis vitio, Boeotii atque Thebani dicuntur, quos multum virium, ingenii minimum habuisse legimus. De Thracibus autem Aristoteles tradidit, eos ingenio tam pingui fuisse ac memoria propemodum nulla, vt ne quaternarium quidem numerando transcendere valerent Ex hoc nimirum genere procreatos crediderim esse non paucos adolescentes, quorum cum ingeniis qui confligatur, litus quidem arare,

quod

quod aiunt, aut Isthmum fodere suscepit. Haec tamen calamitas non tam saepe acciderer, si bonarum artium professores aut misericordia erga miseros istiusmdi iuuenes commoti, aut conscientiae stimulis acti, Alabadensis Apollonii rhetoris praeclaro satis exemplo ineptos hosce discipulos operam apud se perdere nequaquam paterentur, et ad quam vnumquenque artem idoneum iudicant, ad eam serio cohortarentur atque dimitterent. Sed valeant iam, valeant quotquot inuita Mineraa nati musas et Apollinem auersantur. Vos enim compellat oratio mea, Adolescentes optimi, praestantiori indole ac felici ingenio ornati, quos Isocrates Deorum immortalium filios appellare solebat, quippe qui intelligendi facilitate ad diuino ingenio parentes Deos referre videmini. Vos, inquam, spectat quicquid de ingeniorum delectu instituendo dicam. Inter vns enim alios in mathematicis disciplinis, alios in physicis, alios in arte medica, alios in iure ciuili, partim in re poetica, partim in dicendi facultate praestantissimos fore non dubito; si vnusquisque vestrum in id studendo sedulo incumbat, ad quod natura duce propendet, et ad quod prope factus esse videtur. Quemadmodum enim, vt poeta inquit, non omnis fert omnia tellus; ita sane non omnes, qui nostra vel maiorum aetate claruerunt homines sapientissimi, omnem artem assequutos fuisse videmus, sed singulos in singulis praestitisse.

Verum vt inde orationi aditus pateat, vnde potissimum omnis ratio ducenda esse videtur; primo quidem nobis diligenter est attendenda mira illa ingeniorum varietas, qua homo alter alteri non minus est, quam vultu atque ore dissimilis. In aliis enim intelligendi acumen et sagacitatem incredibilem admiramur, qua facile omnium oculos ad se conuertunt oratione venustâ atque expedita, tum etiam salibus et iocis, quos semper in promptu habent, quibus ipsi saepe maiorem sibi opinionem, quam alii multo studio ac diligentia creant. In aliis vero tarditatem et quasi stuporem quendam mentis videmus: qui sermone parci sunt ac statarii, vt proinde illis oratio non tam fluere, quam stillare videatur. Alii autem intelligendo minus acuti, nihilominus memoria pollent firma et praestantissima: alii contra ingeniosiores, sed omnium maxime obliuiosi: alii denique tum memoriae vi, tum intelligentiae acumine instructi, vtraque facultate mirum in modum excellunt. Nolo hac in re Astrologorum deliramenta consectari, et varietatem eiusmodi ad nescio quas Planetarum coitiones referre: nolo Philosophorum sectas et opiniones excutere. Illud mihi nec absurdum, nec a veritate alienum esse videtur, varias huiusmodi ingeniorum formas e multiplici diuersoque, quod vnicuique inest, temperamento proficisci: cum satis exploratum sit, non aequalem semper in nobis percipiendi facultatem, quae a sensibus ortum habet, vigere; sed pro diuersa corporis temperie illam modo acrem et robustam, modo fractam et imbecillem existere. Cum itaque tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta vix corporum esse solet; quis non videt dissimilem inde singulorum virtutem fore, nec eundem vnquam ab vniuersis progressum esse sperandum? Platonem legimus ingenia hominum cum metallis comparare fuisse solitum: quorum alia quidem aurea, alia ferrea, aut plumbea, partim stannea, partim argentea, partim denique e variis conflata metallis esse dicebat. Quod plane in rem nostram quadrare satis apte videtur. Quandoquidem ad diuinas et sublimiores scientias, quae aurea nimirum ingenia exigunt,

 is,

is frustra incumbit, cui ferreum, vel plumbeum, vt Platonis more dicam, ingenium habere contigit. Frustra subtiliora Geometriae problemata, frusta reconditos naturae aditus rimari tentant ii, quibus hebetior mens et tardi ad percipiendum motus. Reptare humi contenti sint, quibus natura volucre negauit ingenium, quo ad alta ferantur, ne Icari audaciam imitari velle videantur. Quemadmodum autem non eadem est, vt paulo ante dixi, in omnibus intelligendi facultas, sed varia admodum et multiformis; ita quoque multiplex et diuersa est natura scientiarum, quae non omnes idem ingenii acumen, sed diuersos intelligendi gradus virtutesque deposcunt. Quaedam enim, vt Algebra, vt Metaphysica, vt Theologia aliaeque plures, ad contemplandum natae, singularem percipiendi celeritatem et igneam vim mentis postulant. Quaedam vero tarditatem magis quandam amant cum ingenii maturitate coniunctam, vt Medicina et Iuris scientia. Aliae peramplum volunt, vbi spatientur memoriae campum, quemadmodum Historia, Geographia et omnia fere linguarum studia. Alia denique cum tenaci memoria ingenium viuidum et bene subactum, quales sunt dicendi facultas, ars Critica, et quae de Theologicis dogmatibus agit, diuina scientia. Quocirca etsi per se difficile est, rem amplissimam definire, et certam vnicuique disciplinae mensuram ingenii tribuere; hoc tamen ex eo difficilius esse video, quod praeoccupatam quisque habeat de ea, quam profitetur, scientia opinionem; ad quam ingenium longe omnium optimum deposci omnino sibi persuadeat, et alter alteri concedere haud quaquam velit. At vero negari non potest, id, quod experientia fere quotidiana exploratum est atque perspectum, duos scilicet homines, et ingenio et pari industria praestantes, persaepe in vna eademque facultate, atque eodem magistro, non aequaliter proficere: immo aliquando fieri, vt alter incredibiles in eo studii genere progressus faciat, in quo alter sic haeret atque implicatur, vt ab eiusmodi vadis emergere nullo modo possit. Quid ita? Nonne quod alter, quanquam intelligendi vi multa praestet; eo tamen ingenii temperamento caret, quod ad eius generis disciplinam est apprime necessarium? Multos ego noui adolescentes, qui in elegantioribus literis et eloquentiae studiis nullum egregiae indolis specimen dederant, magno deinde ingenio, in Dialectica, in Geometria, tum etiam in iure ciuili instructos apparuisse.

Vsurpari solet communi sermone, et quasi prouerbii locum obtinuit: poetas quidem nasci, eosque non tam arte ac studio, quam natura et diuino quodam instinctu valere. Homines enim cum viderent aliquos ad pangendum carmen mira ingenii facilitate duci, aliis vero per diuturnos labores ac vigilias id minus licere; poetas caelesti quadam vi ac diuino spiritu afflari putarunt. Quocirca si quid fingere ac poetice ludere velint, non intercedo. Si vero quae caussa sit, serio requirant; hoc pro certo habeant, ad poeticam facultatem, ebullientem ingenii feruorem et ingentem mentis impetum postulari, quo homines quodammodo furere, et oestro quodam perciti esse videntur. Hoc autem qui carent, frustra musis et Apollini litare contendunt. Quamobrem, vt Quinctilianus animaduerterit, optimus quisque poeta esse debet ἐυφαντασίωτος, is scilicet, qui sibi et res et actus simillimos veri scire ac venuste confingere valeat. Quod quidem de poetis argumentum nemo non videt in ceteras quoque disciplinas

sciplinas satis commode cadere. Atque hinc M. Tullius ad informandum eum, quem ipse in libris de Oratore instituit, optimum dicendi magistrum, id maximae curae esse debere ac prae ceteris attendendum monet, vt primo ingeniorum delectus diligenter accurateque habeatur. Praecipuum est, inquit, vt doctor animaduertat ingenium et naturam discipulorum. Quinctilianus autem, de quo paulo ante, aestimandorum et ipse ingeniorum peritissimus, examen huiusmodi tanti quidem fecit, vt illud iam inde a pueritia omnino fieri iubeat. Tradito sibi puero, ait, docendi peritus ingenium eius in primis naturamque perspiciat. Intelligebant quippe homines sapientissimi, naturae non debere vim fieri, sed ad quod vnumquodque natum est, eo esse adhibendum. Siquis enim a teneris, vt Graeci dicunt, vnguiculis pingendi artem non alio, nisi natura duce imitetur; non est, cur in consectandis latinae linguae elegantiis, aut in Dialecticorum subtilitatibus extricandis aetatem atque operam frustra consumat. Ea ipse feruet phantasiae vi, vt, quotquot sibi ob oculos rerum imagines veniunt, totidem adumbrare coloribus et non inscite exprimere valeat. Erit profecto, erit in pingendi facultate dux et imperator: at vero in humanioribus literis, in Philosophiae castris vix erit inter calones, aut gregarios milites recensendus. Neminem vestrum latet, quod de Andrea Vesalio, viro cum Medicinae, tum Anatomiae peritia clarissimo, memoriae traditum legimus: qui adhuc puer, quotquot mures, talpae, glires, vel etiam canes atque feles sibi in manus venissent, totidem dissecare et in singulorum membranas, omenta ac intestina penitus introspicere solebat: eo videlicet illum natura ducente, vt aetate maturus Anatomiae scientiam iam pene intermortuam in lucem restitueret. Exploranda est itaque, et quidem sedulo, antequam disciplinis instituenda tradatur iuuentus; vt in re tam ardua vniuscuiusque quid ferant humeri, vt aiunt, quid ferre recusent, probe internoscatur. Iure quidem merito permirum Diogeni videbatur, homines, qui neque ollam, neque operculum emerent, nisi primo idem pulsu et tinnitu satis exploratum habuissent, at vero in homine emendo vno aspectu esse contentos. Quid vero de adolescente summae spei atque egregiae indolis, vnde familiae splendor omnis ac dignitas, in vna vel altera disciplina collocando? Nullumne fieri debet experimentum, nulla habenda naturae ratio, nulla de eius ingenio solicitudo, perinde quasi mancipii alicuius emtio ageretur? Quid ergo miramur, iuuenes nauos et industrios in Academia tempus non minus quam aetatem terere; cum non sua, sed parentum voluntate iis studiis animum appulerint, a quibus maxime abhorrent? Istis nimirum culpa parentum eorundem accidit, quod de Periandro quodam medico Plutarchus memorat. Is enim cum medendi arte satis abunde praestaret, in eam dementiam venit, vt poeta fieri vehementer cuperet, et se se totum pangendis carminibus daret. Sed cum id musis aduersis faceret, pro laude cachinnos et ludibria referebat. Quare Archidamus, eius necessarius, ad sanandum tam mali poetae furorem, eundem grauiter obiurgans, quid, inquit, tibi accidit Periander, quod pro eleganti medico malis poeta vocari appetas? Non dissimili plane ratione plerique homines, qui oratores, aut philosophi, aut geometrae praestantissimi euaderent, quod ad eiusmodi disciplinas ingenium longe omnium aptissimum a natura acceperint; ab aliis, in quibus inuita Minerua occupantur

tur studiis, summam referunt pro dignitate ac laude vituperationem. Hoc autem quanto et professorum incommodo et optimarum artium damno fiat, paucis quidem explicari non potest.

At enim a Quinctiliano, cuius doctrinam et auctoritatem praedicas, illud accepimus, neminem reperiri, qui nihil studio sit consequutus. Praeterea quot extiterunt hebeti tardoque ingenio viri, qui ad dicendi facultatem, vel ad Philosophiae studia ineptissimi esse videbantur: qui nihilominus eam naturae tarditatem sic pertinaci labore, vicerunt vt oratores elegantissimi, et non barba ac pallio tantum, sed moribus quoque et doctrina philosophi illustres euaserint, quemadmodum de Heraclide, de Cleante, de Xenocrate aliisque pluribus historiae loquuntur? Itane vero? Si liberorum vestrorum voluntatem erga literarum studia ita cognitam habetis eamque non minus quam in Cleante et Xenocrate perpetuam atque constantem; non repugno. Quamcunque ipsi fortuna dederit studiorum rationem, eam statim complectantur: vtique laudem plurimam ex assiduo huiusmodi labore consequentur. Quod si in illis neque ingenii, neque industriae par ratio fuerit; non est, cur aliquis sibi stulte blandiatur: nullum omnino fructum decerpent ex eo studiorum genere, in quo inuito reluctantique animo detinentur. Quid si hac valetudine satis firma, nec ad diuturnas vigilias grauissimosque labores perferendos satis apti? Huc accedit, austeram illam veterum disciplinam, qua ipsi ob incredibilem doctrinae amorem ab omni prorsus voluptate, a ludis iocisque interdictum sibi esse volebant, ita iam in desuetudinem abiisse, vt quod aurei illius saeculi virtus extitit, nunc fere vitium et rusticanae vitae genus esse videretur. Ego vero cum plerosque aetatis nostrae adolescentes intueor, cum eorum comas molliter fluentes et ipsos sibi vno digito scalpentes caput contemplor; vix animum inducere possum, vt eosdem tam graui labori ferendo pares esse concipiam. Minuatur igitur, quantum fieri potest, studiorum labor. Mollis et delicatulae nostrorum temporum iuuentutis ratio habeatur, vt nimirum in literis minimo sudore proficiat. Hoc autem tum commode fiet, cum exploratis ingeniorum viribus, ad eam vnusquisque liberalem artem aptabitur, ad quam voluntate et suapte natura ducitur. Non erunt tunc sane iuuenes ad scholas tanquam ad pistrinum metu poenisque cogendi. Amabunt ipsi quoque literas, et expedito satis cursu doctrinae metam attingent.

Arithmeticam pueris, vt Laertius refert, obiiciebat Pythagoras, nihil opportunius esse ratus ad aciem mentis examinandam exacta computandi ratione: quod videlicet ingenii difficultas ab ipsa numerandi tarditate non aegre dignoscatur. At Graeci omnes, homines sapientes et peracuti, ingeniorum naturam et amplitudinem non alio sane modulo nisi Geometriae studio metiendam esse existimabant: neque ad Philosophiae arcana quenquam recipiebant, cui non fuisset ingenium geometricis rationibus bene excultum atque limatum. Vtinam eiusmodi consuetudinem a Graecis traditam maiores nostri tenuissent eamque ad nos sartam tectam deduxissent. Profecto aut ego fallor, aut incredibile iam nunc habuisset rerum naturalium scientia, tum etiam ceterae disciplinae incrementum. Verum aliae quoque sunt ab aliis sapienter excogitatae explorandorum ingeniorum rationes, quas ego minime reprehendo: quippe quae si prudenter adhibeantur, suum robur suamque vim sint habiturae. At ne longius rem prosequendo patientia vestra abuti velle videar, orationis filum abrumpo; eaque plura, quae de ipso ingeniorum delectu recte instituendo dici possent, sapientiae iudicioque vestro decernenda relinquo.

DE

DE

LAVDIBVS

LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS

PARENTALIBVS

ORATIO XI.

HABITA III. KALEND. MARTII

AN. MDCCXXVI.

Si

Si quis est, qui forte putet, haec parentalium solennia, quae Leoni X. Pont. Max. quotannis in hoc amplissimo loco et hac tanta celebritate fieri consueuerunt, ad hanc vnam Romanae Sapientiae sedem et ad vos tantummodo P. C. gratique animi vestri significationem pertinere, is certe fallitur atque in summa rerum ignoratione versatur. Illustris enim ac sempiterna tanti Pontificis recordatio non his solis parietum angustiis, non vno huius loci ambitu continetur; sed ad totam, quantacunque est, Vrbem Romam, ad Italiam vniuersam, ad Germaniam et Galliam, Imo ad omne genus hominum latissime peruagatur. Quis enim est hodie tam inaccessus, aut tam remotus in terris locus, quo sapientissimi huius Principis fama, aut eius regiae beneficentiae fructus aliquis non peruaserit? Quae, quae hominum natio, cui vel minima bonarum artium disciplina accesserit, quam celebratissimum Leonis X. nomen diuinaque virtus admiratione non compleuerit? Omnes profecto literae, omnes Academiae, quotquot sunt, celeberrimae Leonem X. ad caelum summis laudibus efferunt; eumque optimarum artium felicitati natum et communem literarum parentem omnes vna mente atque vno ore conclamant. Quid igitur ego in hac mea mediocritate ingenii dicendique tenuitate potissimum afferre potero, quod neque a summa laudatissimi viri amplitudine alienum esse, neque a dignitate ornatissimi huius loci, cuius ipse instaurator fuit beneficentissimus, abhorrere videatur? Satis mihi erit verbis paucissimis indicare, quibus tandem solidis fundamentis hae tantae Leonis X. laudes vbique excitatae fuerint, ad omnem posteritatis memoriam stabiles firmaeque permansurae. Quod quidem me satis commode spero consequuturum, si ceteris quam plurimis et clarissimis eius virtutibus hodierno die praetermissis, vno mihi argumento summam amorem illum ingentem ac prorsus incredibilem, quo Leo X. literas literatosque omnes auidissime prosequebatur. Nam hinc facile erit intelligere, hoc vno nomine sapientissimum virum omnium gentium sibi studia promeruisse et omnium aetatum praedicationem. Atque hoc ipso iure Romana haec nostra Academia quotannis eum publice laudare ac solenni ritu gratias agere consueuit.

Fuerant sane superiori aetate complures Romani Pontifices, homines sapientissimi, qui optimarum artium studia promouere, tum etiam praemiis exornare operae pretium duxerunt. Eiusmodi laudem assequutos fuisse Innocentium et Eugenium IV. Clementem et Nicolaum V. Pium II. aliosque plures ex annalium memoria accepimus. At vero, qui ardentiori studio, aut propensiori voluntate erga ingenuas disciplinas cum Leone X comparari possit, neminem fuisse contendo. Quod enim in summa reipublicae tranquillitate atque otio, cum opes integrae atque aerarium opulentum literarum studia tutelam ac patrocinium inueniant, non est valde mirandum, neque a veteri consuetudine alienum. Tunc equidem Romana respublica rhetores ac poetas aliosque liberalium artium professores ad hanc Vrbem inuitauit benigneque complexa est, cum iam Punico secundo bello confecto, et Carthagine, illa Romani imperii aemula, funditus euersa, in otio paululum respirauit. Vbi enim tubarum lituorumque clangor insonat, atque omnia late armorum strepitu perturbantur, quis est, qui musarum cantu delectetur, ac de erudi-

tione

tione magis quam de capite ac de ſalute ciuium ſolicitus eſſe poſſit? Iacet tunc omne ſtudium, vt inquit Tullius, et in pretio eſt horridus miles, non valde bonus ac diſertus orator. Quae cum ita ſe habeant, quis mirari ſatis poſſit, Leonem X. vix Pontificio diademate coronatum ſtatim de optimis ſtudiis in hac Vrbe reſtituendis potiſſimum cogitaſſe, et nihil antiquius habuiſſe, quam hanc Romanam Academiam in ſummum ſplendorem atque amplitudinem excitare? Nemo veſtrum ignorat, quibus ille temporibus turbulentiſſimis Vaticanam ſedem conſcenderit. Longum eſſet ac permoleſtum hoc loco ſingulas et miſerrimas eius temporis calamitates recordari. Praetereo itaque Italiam, tunc fere omnem diuturni ac periculoſi belli incendio conflagrantem. Non loquor vrbes atque oppida hoſtium caede, aut ciuium ſanguine redundantia. Taceo vaſtitatem in agris, in templis ſolitudinem; ac florentiſſimas ciuitates ex aſſiduis Germanorum, Hiſpanorum Gallorumque incurſionibus diutiſſime vexatas atque direptas. Satis ſit ad memoriam vobis id vnum reuocare, Pontificium exercitum ſuperiore anno ad Rauennam caeſum fuiſſe atque deletum. Licet enim Iulius II. Romanus Pontifex nihil impenſius quam publicae totius Italiae tranquillitati ſtuderet, non tamen illi defuit ad ſuſcipienda plurima ac periculoſa bella militaris animi virtus et nimia quaedam gloriae cupiditas. Hinc aerarium inops atque exhauſtum: hinc vectigalis pecunia ad ſtipendia militum aliosque belli vſus impenſa atque diſtracta. Quanquam igitur Leo X. tam alieno reipublicae tempore Romanus Pontifex renunciaretur, illico tamen bonarum artium ſtudiis, quae vbique foeda ſitu ac ſqualore iacebant, erigendis animum manumque praebuit: neque Pontifici aerarii calamitas atque inopia, neque bellorum per Italiam nondum ſedati tumultus, neque grauiſſima alia, quibus initia principatus vrgeri maxime ſolent, negotia, retardarunt. Sed accerſitis Romam profundioris literaturae viris, ampliſſimum hoc Gymnaſium, hoc muſarum domicilium, hanc ſempiternam bonarum artium ſedem inſtaurauit; atque ita inſtaurauit, vt, quemadmodum eorum temporum annales loquuntur, Romanum Gymnaſium neque Bononienſi, neque Patauino vel doctorum praeſtantia, vel auditorum concurſu concederet.


Ex quibus ſane fauſtiſſimis regni auſpiciis quis non videt ſapientiſſimi Principis voluntatem erga optimas diſciplinas et conteſtatam iam praeclare ſatis erga literarum ſtudia ingentis amoris ſui ſignificationem? Inſtabat Lateranenſe concilium, quod Iulius II. iam inchoauerat, mature proſequendum perficiendumque. Vrgebant Pontificis animum Carnaialis et Sanſeuerini cum Romana Eccleſia ſimultates inueteratae atque odium, quod illos tanquam publicos hoſtes ipſemet Iulius purpurae dignitate ac bonis omnibus expoliauerat. Imminebat Italiae ceruicibus cum ingenti exercitu rex Gallorum Ludouicus XII. Neapolim ac Mediolanum, vnde turpiſſime pulſus fuerat, repetendi deſiderio ac furore inflammatus. At Leo, quanquam nihil eorum, quae ad Eccleſiae dignitatem, vel ad Italiae ſalutem pertinere videbantur, negligeret; vt proinde et Lateranenſe concilium ſumma animorum conſenſione plauſuque confecerit, et foedus a Iulio II. ſancitum pro Italiae libertate prouidentiſſime inſtaurauerit, et Sfortianis militibus opem ſuam implorantibus viginti quinque millia aureorum per Hieronymum Moronum, legatum, ſtatim perſoluerit; nihilo tamen vnquam remiſſius egit in optimis ſtudiis promouendis ampliſſimeque

plissimeque exornandis. Nam praeter ea clarissima ingenii lumina, Augustinum Suessanum, Christophorum Aretinum, Hieronymum Buttigellam, Parrhasium Consentinum, Basilium Calchondylem aliosque doctissimos viros, quos ad huius Academiae famam longius proferendam, magnis propositis praemiis, ad Vrbem inuitauerat; praeter duos illos summae eruditionis ac doctrinae principes, Bembum et Sadoletum, quos ab epistolis sibi esse voluit, nemo vnus fuit alicuius ingenii colore tinctus, quem ipse quasi publicus literarum parens peramanter non exciperet, et ad meliora de se sperandum non inflammaret. Audite quaeso luculentissimum Pauli Ionii testimonium ad sempiternam tanti Pontificis laudationem memoriae posterorum demandatum. Singulos, inquit, exquisitis nobilioribus artibus instructos, vel mediocris etiam nominis poetas, tanta benignitate suscipiebat, vt omnes iam excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur: cum a tanto armorum strepitu, quo neglectis literis, Iulii Pontificis aures magnopere gaudebant, tandem virtuti locus patefactus esse videretur. O laudem singularem! O praedicationem, principibus viris et regibus plane inuidendam! Intelligebat equidem vir, summa sapientia praeditus, Christianae reipublicae maxime interesse egregios et exquisito ingenio viros vbique locorum haberi, qui tam Latinorum quam Graecorum Patrum monumenta probe perciperent, et venerabilem diuinarum literarum auctoritatem qua scriptis, qua voce defenderent. Quamobrem, etsi regiae liberalitatis ac munificentiae splendore ceteros eius aetatis principes vnus longe omnes multumque superabat, vtpote qui in ea domo fuerat splendide ac liberaliter educatus, cuius amplissimum patrimonium beneficentia semper fuit et gloria: vbi tamen de optimis studiis augendis consilium erat, non modo ceteros, at seipsum quoque liberalitate vincere videbatur. Nullus enim erat magistratus, nulla dignitas, nullum sacerdotium tam opulentum, quod literarum cultoribus libentissime non indulgeret. Vt proinde, quemadmodum de Artaxerxe, illo Persarum rege clarissimo, cui ob manum dexteram sinistra longiorem Longimani cognomen fuit, Plutarchus refert, eum gloriari solere, sibi tanquam optimo Principi naturam tribuisse, vt alteram manum haberet ad largiendum amplissimam atque longissimam, alteram vero ad accipiendum breuiorem et contractam; ita quoque Leo X. merito gloriari posset, se ampliorem, quam ceteri principes, animum diuinitus accepisse, vt erga homines literatos incredibilem suam beneficentiam expleret. Quam vero diligens, quam sedula, imo quam ingeniosa fuerit eiusmodi liberalitas, quis oratione complecti valeat? Non intra Vrbis muros, vel intra angustos Italiae fines sese continuit, sed remotissimas quoque Europae regiones praeteruecta est ad nouas et inusitatas exquirendas rationes, quibus tam literae quam literati omnes promouerentur. Nihil artificiose, nihil amplificandi studio dicimus, cum singula per se satis admiranda esse videantur. Quis enim non stupeat, a Leone X. missum fuisse ad inclytas nationes Germaniae, Daniae, Sueciae, Noruegiae et Gothiae Ioannem Heytmers de Zonuelben, Apostolicae Sedis nuncium, vt veteres libros, qui temporum iniuria periissent, diligenter accurateque perquireret? Eo vero praecipue consilio, vt literato cuique latissimus excolendi ingenii campus pateret. Extat Leonis ipsius epistola ad Albertum, Archiepiscopum Moguntinum, Principem Electorem

rem et Germaniae Primatem, in qua de comparandis eiusmodi voluminibus rationem caussamque satis luculenter exponit. In hac re, inquit, nec sumptui, nec impensae alicui parcimus solum vt, sicut vsque a nostri Pontificatus initio proposuimus, quod Altissimo tantum sit honor et gloria, viros, quouis virtutum genere insignitos, praesertim literatos, quantum cum Deo possumus, foueamus, extollamus ac iuuemus. Quid est, Auditores, quod studiosissimus ingeniorum fautor ad laudem illustrius excogitare posset? Haud satis illi fuit, in doctis hominibus exornandis maiorum vestigiis insistere. Voluit quoque inusitata quadam ratione de illis longe omnium optime mereri; atque ipsis cum ad ingenii famam extendendam, tum ad opes sibi comparandas munire iter nouum et expeditum. Ob quam sane praeclaram liberalitatem Petrus Baelius, Romanorum Pontificum censor iniquus et obtrectator maledicentissimus, sibi tamen temperare non potuit, quin posterorum memoriae scriptum relinqueret, neminem esse literatorum ex quocunque genere, aut religione ille sit, qui Leonis X. nomen colere et ad caelum extollere non debeat, quod obsoleta, aut perdita veterum scriptorum monumenta studiose conquiri, ac typis elegantissimis eunlgari curauerit. Et vero neminem vestrum latet, Leonis munificentiae deberi Cornelii Taciti Annalium libros quinque primos deperditos iam et omnium opinione desperatos, at reuera in obscuro Germaniae angulo latentes, quos ipse Leo e barbarorum manibus, vt Andreas Alciatus inquit, quingentorum aureorum summa redemit, ac Romae primo typis edi iussit: vnde immortalem sibi laudem peperit, quod historicum praestantissimum, quasi ab inferis excitatum, noua luce ac vita in hac Vrbe donasset.

Ex hac autem tanta Leonis X. erga literas beneficentia factum est, vt per eadem fere tempora non modo in Italia viri principes, Sabaudi, Estenses, Cararienses et Vicecomites de eruditis hominibus complectendis mutuo inter se studio decertarent; verum etiam in germania Maximilianus Caesar, in Gallia rex Franciscus I. ad honestissima studia postliminio reuocanda, ac melioris fortunae spe erigenda, quasi vno eodemque tempore excitarentur. Ille enim Viennensem Academiam, nunc quoque florentissimam, erexit: hic Parisiensem, a Carolo Magno praeclarissime fundatam, sed iam vetustate collapsam, regia liberalitate restituit. Vterque vero literas plurimi deinde facere ac literarum studiosos, Leone ipso hortatore et duce, praemiis amplissimis cumulare sibi gloriae duxit. Vt propterea, si verum fateri velimus, incrementa illa scientiarum, quae consequutis inde vsque ad haec nostra tempora aetatibus in Italia, in Galliis, in Germania aliisque nobilissimis regnis habita sunt maxima et admiranda, vni Leoni X. accepta referri potissimum debeant, qui barbarorum castra perfregit, et scientiarum affectis signum sustulit libertatis et gloriae. Ipse enim fuit, qui clarissimis regibus documenta illustria dedit, quo tandem loco habenda sint doctrinae studia, quae id temporis vbique neglecta erant ac prope deposita. Ipse fuit, qui bibliothecam Vaticanam conquisitis per omnem Europam et ab Oriente vsque exportatis voluminibus amplificauit, quam etiam publicae vtilitati patere voluit. Ipse Graecorum literis et disciplinis e patria sede miserrime deturbatis in hac Vrbe, omnium principe, domicilium praebuit honestissimum: cum propterea Ioannem Lascarem, Bizantinum, hominem in primis nobilem et eruditum cum aliis multis Graecorum doctissimis

mis Romam ab omni Graecia summa liberalitate aduocasset. Dies me profecto deficeret, si dicendo numerare singula vellem, quae Leo X. ad rem literariam augendam atque omni dignitate honestandam vsque ad extremum spiritum constantissime gessit. At vero quicquid hactenus dixi, vt ad vnam summam referam, illud meo iudicio est omnium admiratione dignissimum, quod homo, valetudine non satis prospera, frequentissimis suorum calamitatibus, tum etiam saepe acerbo eorundem funere exulceratus, iniquissimis amicorum coniurationibus in vitae pericula non semel adductus, ad multa et grauissima bella, tum ad tuendam Italiae libertatem, tum ad extultantem Selymi, Turcarum Imperatoris, furorem reprimendum compulsus; acerbissimis praeterea curis affectus ex perniciosis opinionibus, a Luthero in Apostolicae Sedis maiestatem ac veterem religionem in Germania late disseminatis, homo denique in ea rerum amplitudine atque imperio collocatus, vt maximis semper occupationibus eum detineri necesse esset; nunquam tamen literarum patrocinia intermiserit, nunquam vel minimum in iis ornandis industria aut voluntate defuerit perinde ac semper in summo otio ac vitae tranquillitate vixisset. O incredibilem et inauditum literarum amorem! O virum sapientissimum, omnium gentium vocibus, literis et praedicatione celebrandum! Quinam progressus scientiarum, aut quantus gloriae cumulus liberalibus artibus accessisset, si eum diutius viuere, aut tranquilliori caelo imperii clauum tenere contigisset? At vero exiguum illud viuendi spatium, a natura Leoni datum, et difficillima Christianae reipublicae, quibus ipse regnauit, tempora nonne luculentiora sunt argumenta eius summi studii erga optimas disciplinas et beneficentissimae indicia voluntatis? Vtinam Deus B E N E D I C T U M XIII. Pont. Max. diu nobis incolumem seruet; vt, quemadmodum sanctissimus senex regia liberalitate ceterisque virtutibus Romanorum Pontificum nemini concedit, ita quoque ad literarum studia promouenda atque ornanda animum referat, ingenitamque sibi beneficentiam erga doctos et eruditos largiori manu conuertat. Sic enim fiet, vt triste illud et acerbissimum desiderium sui, quod Leo X. moriens apud omnem literatorum memoriam reliquit, nunc tandem, B E N E D I C T O XIII. Pontifice, lenitum quodammodo esse laetemur.



PAVLI.

PAVLINI A S. IOSEPHO
LVCENSIS
ORATIONVM
TOMVS II.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
PONT. OPT. MAX.

PAVLINVS A S. IOSEPHO
SCHOL. PIAR.

ECCE ad pedes tuos, BEATISSIME PATER, *alter orationum mearum libellus, qui vt publici iuris fieret, tuoque nomini inſcriberetur, non meum certe de eius praeſtantia iudicium, ſed mirifica animi tui facilitas et humanitas fecit. Quoties enim illas, quae altero tomo continentur, laudare, quae incredibilis benignitas tua fuit, quoties de alteris his in lucem edendis mecum loqui, et quaſi ſtimulos addere dignatus es? Neque id mirum, quod non eas modo diſciplinas, quae dignitatis tuae maieſtatem decent, excolendas et amplificandas curas, ſed etiam ad ceterarum artium literarumque ſtudia prouehenda cunctos omnium ordinum homines incitas atque inflammas; quemadmodum qui de variis ſtudiis in omni hebdomada coram te fiunt Academici coetus, rem ſatis indicant. Itaque pudebat me iam differre tempus, atque has vltra ea gloria fraudare, quam ab inſcriptione nominis tui acciperent. Verum alia quoque me ad id permouebant. Silentio mittam perpetua ſingularis tuae erga me beneuolentiae ſigna: ob quam tibi plurimum me debere fateor; eoque magis, quod nullis meis in te meritis, ſed innata quadam penituſque tibi inſita benefaciendi vi ac propenſione id facis. Neque vero mihi mens eſt hoc loco maximas et ampliſſimas tuas commemorare virtutes, quae paſſim omnium praedicatione celebrantur; non modo Romae, ſed apud*


exteras

*exteras quoque nationes, atque eas gentes etiam, quae praeclara Romanorum Pontificum gesta limis oculis aspiciunt. Quis enim tam rudis, aut a nobis tam remotus est, vt non audiuerit, aut legerit, quae de reconditis et sanctioribus Catholicae Ecclesiae doctrinis abs te iam multa prodierunt, et adhuc prodeunt, volumina, quae quidem te sanctissimum perinde ac doctissimum Pontificem vbique gentium praedicant? Quis ignorat, quae ad Pontificium aerarium restituendum prouidentissime mandasti; quod vt magno et graui aere alieno sublevares, quicquid in tuos conferre honestissime poteras, in illud comportari, ingentesque Vacabilium summas ad ipsius aerarii rationes pertinere voluisti? Quocirca te non minus in re Oeconomica, quam in diuinis et Ecclesiasticis disciplinis (quod valde rarum est) scientissimum esse vidimus. Nihil dicam de singulari illa animi constantia, qua iam tot annos te geris erga tuos tibi sanguine coniunctissimos, quos exemplo a multis aetatibus non audito, neque ad Vrbem accedere passus es. Verum his omnibus, quae olim posteri magnopere suspicient, ac te vera cum gloria praedicabunt, praetermissis; ad illud venio, quod ad me propius pertinere videtur, quodque tibi sempiternae laudi fore minime dubito: ad haec scilicet nostra Romanae Sapientiae studia, quibus instaurandis, et saniore consilio atque ordine dirigendis, nuper animum mentemque adiecisti. Hoc ego vnum, vt vere dicam, triginta et amplius annos optaueram maxime: hoc erat mihi vnice in votis, quo de persaepe fueram cum viris grauibus et doctis collocutus; hoc denique illud ipsum, quod ego quasi diuinans, te aliquando facturum esse praenunciaui *). Videbatur enim mihi prorsus a dignitate Vrbis alienum, Romanam Sapientiam neglectam iacere: et quae tantopere praeteritis temporibus ceteras Orbis academias studiorum celebritate ac doctorum fama superauerat, id temporis prope dicam deseri, atque omnibus esse despectui. Quid tum? singulari Dei Opt. Max. consilio factum est, vt ad hanc bonarum artium sedem aliquando oculos tu converteres; et quanquam infinitis paene negotiis impeditus, maxima tamen sollicitudine paternaque cura studiorum nostrorum patrocinium ac tutelam susciperes. Intelligebas enim probe, satis non esse; si Princeps per se doctus sit maximeque literatus, nisi is faciat, vt ipsa quoque literarum studia, bonae artes et disciplinae apud suos vigeant. Idcirco*

tu

*) V. pag. 2161.

tu et accitis aliquot nouis politioris doctrinae viris, et necessariis ad naturalem Philosophiam comparatis instrumentis, et lectionibus praeterea numero auctis, aliisque recte ac sapienter prouisis, illud iam effecisti, vt tum nouitate studiorum, tum discipulorum frequentia, Romana Sapientia dudum in veterem splendorem restituta esse videatur. Cum igitur academiae ipsius, quotquot sunt, professores gratias tibi inde habeant maximas et immortales; quod nimirum satis intelligunt, ex re literaria tam prouide sapienterque instituta, longe maius sibi decus ampliorемque bonis artibus dignitatem esse accessuram; ego sane, qui si non doctrina et bene dicendi arte, at certe diuturnitate docendi, atque erga optimas disciplinas studio nemini concedo, meum esse duxi, BEATISSIME PATER, *communi omnium nomine testatum id facere, publiceque profiteri, singulos tibi esse, perpetuoque fore hoc maximo et singulari beneficio obstrictos: cum omnes praesertim sperent, se grauioribus auctos laboribus, auctum quoque a te iri vberioris beneficentiae tuae fructibus; vnde sibi maior copia sit et honeste viuendi, et lucubrationes eruditas, ingeniique sui monumenta typis euulgandi ratio, quemadmodum maiores nostri saepe et magna cum laude fecerunt; atque inde vniuerso pateat Orbi,* BENEDICTO XIV. *Pontifice*, Romanam Sapientiam, neque Bononiensi, neque Patauino Gymnasio, vel doctorum praestantia, vel auditorum concursu concedere, *id quod Leonis X. tempore contigit, vt Paulus Iouius testatur.*



 IOAN-



IOANNES DIDACVS
A MATRE DEI
Cler. Regul. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum
VICARIVS GENERALIS.

CVM Tomum alterum Orationum, quas in Archigymnasio Romanae Sapientiae habuit P. Paulinus a S. Iosepho, Cler. Reg. Scholarum Piarum, Assistens noster Generalis, et in eodem Archigymnasio Eloquentiae professor, duo ex Nostris, quibus commissum fuit, recognouerint, atque approbauerint: vt typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem etc. Datum Romae in Aedibus nostris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 30. Septembr. 1747.

IOANNES DIDACVS
A MATRE DEI VIC. GEN.

Loco ✠ Sigilli.


IOANNES VINCENTIVS
A S. IACOBO SECRET.

Reg. fol. 212.

IMPRIMATVR,
Si videbitur Reuerendissimo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

F. M. DE RVBEIS
ARCHIEP. TARSI VICESG.

APPRO-



APPROBATIO.

PAVLINI a S. Iosepho Clerici Regularis Scholarum Piarum, viri eloquentissimi, Orationes duodecim, quae Tomo altero continentur, iussu Reuerendissimi P. Aloysii Nicolai Rodulphii, S. Palatii Apostolici Magistri, legi summa animi voluptate. Sunt enim scriptae tam eleganter, tam distincte, tam ornate, tam copiose, tam grauiter, vt nihil supra desiderari posse videatur. Quare dignas esse censeo, quae publicentur, cum nihil, quod bonis moribus, decretisque Religionis Catholicae aduersetur, contineant. Dabam in Aedibus Miner. 8. Idus Nouembres an. 1747.

F. THOMAS MARIA MAMACHIVS
ORD. PRAED. S. THEOL. MAGISTER
ET CASANAT. BIBLIOTH. PRAEF.

APPROBATIO.


IVSSV Reuerendissimi P. Aloysii Nicolai Ridolfi, Sac. Pal. Apost. Magistri attente legi Orationes duodecim varii argumenti, quas in Lyceo Romanae Sapientiae vir clarissimus habuit P. Paulinus a S. Ioseph e Clericis Regularibus Scholarum Piarum. *Sum ex iis, qui miror antiquos: non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa est, et effaeta natura, vt nihil iam laudabile pariat. Atque adeo legi*

 Pauli-

Paulinianas Orationes *ad exemplar veterum ſcriptas tam bene, vt eſſe quandoque poſſint exemplar* (Plin. lib. 6. epiſt. 21. -). Ita quibus olim verbis Plinius Virginii Romani poeſin, huius ego eloquentiam proſequi mihi poſſe videor, ſapientiam ſcilicet copioſe et ornate loquentem, quae non modo ad ingenia adoleſcentium excolenda doctrinis et multiiugi rerum pulcherrimarum cognitione, ſed etiam ad mores conformandos aptiſſima ſit, hominesque potiſſimum literatos ad bene beateque viuendum optime inſtituat. Ex Aracaeli VIII. Kal. Ian. 1747.

FR. IOANNES DE LVCA VENETVS.
EXAMINATOR EPISCOPORVM.

IMPRIMATVR.
FR. NICOLAVS RIDOLFI
MAG. SAC. PALATII APOST.
ORD. PRAED.



DE

DE

LITERIS

ET

ELOQVENTIA

CVM CETERIS DISCIPLINIS

CONIVNGENDIS.

ORATIO I.

HABITA VII. IDVS NOVEMBRIS

AN. MDCCXXX.

LAE.

LAETANDUM mihi magnopere, Adolescentes optimi, maximeque vobis gratulandum intelligo, quod multa frequentia tantoque concursu et alacritate ad literarum et eloquentiae studia in hoc Romanum Gymnasium vos hodierno die conuenisse video. Quid enim mihi optabilius, quid iucundius contingere potest, quam praeclara hac indole praestantique ingenio iuuenum corona me septum intueri, quorum ad optima studia complectenda magna sit voluntas animorumque consensio? Quid autem vobis vtilius, ac vestrae dignitati magis accommodatum, quam cum grauioribus disciplinis, in quas plerique in hoc ipso Gymnasio incumbitis, elegantiores quoque literas et eloquentiam coniungere, quae quidem illis vitam et spiritum conferunt? Fortunati plane, quod vobis minus arriserit perniciosissima eorum sententia, qui putant, nostra haec studia minime necessaria esse, vt quis in Philosophia, in Iure ciuili, in Medicina, ceterisque grauissimis disciplinis excellat. Quam quidem stultissimam opinionem, etsi satis exemplo vestro confutari video; tamen quo studiorum vestrorum rationem reddere, et imperitis eiusmodi hominibus, si quando opus sit, os obstruere, eorumque audaciam reprimere valeatis, ita prorsus inanem ac repudiandam a vobis esse ostendam, vt quam isti turpiter decipiantur, clare penitusque percipiatis. Atque hinc profecto fiet, vt vobis currentibus calcaria, vt aiunt, addantur. Qui vero de huiusmodi studiorum necessitate dubitant, quanquam vtilia ac iucunda illa esse intelligant, ii perpensis rationum momentis, animo confirmentur, sibique tandem persuadeant, liberalium omnium disciplinarum splendorem et decus, si linguae ornamenta negligantur, euanescere. Ad hanc autem ipsam literarum et doctrinae societatem, quam viro docto summe necessariam esse contendimus, non id laboris et vigiliarum, quod imbecillo quidam animo sibi fingunt, requiri intelligetis. At siquidem viam facilem et expeditam, quam in suprema orationis parte indicabo, persequi volueritis, studia haec vobis plana et iucunda fore spolliceor.

Et quidem primum Deo Optimo Maximo gratias immortales ago, semperque agam, quod Romae, in Vrbe scilicet omnium nobilissima, splendoris et elegantiae domicilio, non in oppido, aut in rusticano aliquo pago, hodie verba facturus sim, vbi homines agrestes, et inculti me necessario aliqua de decore ac dignitate, quae rei maxime conuenit, dicentem haud facile cogitatione comprehenderent. Sed mente recreor, quod mihi res est cum adolescentibus ornatissimis, splendide ac liberaliter educatis, qui paene cum ipso nutricis lacte munditiam suxerunt ac decus, quique non minus ore ac vultu, quam veste, capillis, ceteroque corporis habitu, ornatum et elegantiam prae se ferunt. Vos itaque, Adolescentes optimi, non tantum testes in hac caussa, sed iudices quoque, et caussae patronos adesse volo. Etenim rogo vos per vestram fidem, ingenuumque aetatis vestrae pudorem, quid est, quod singulari studio tantoque opere ceteris in rebus munditia, nitor, et elegantia requirantur, in oratione autem ornatus tanquam minime necessarius reiiciatur? Si tecta construantur, sedulo curant artifices, vt prospectus aedium, vestibulum, porticus, peristylum, impluuium, ac cetera sint huiusmodi, vt ab elegantia et dignitate minime

minime abhorreant. Si nauis aedificetur, quanta cura adhiberi solet, vt latera, carina, puppis, antennae, ac reliqua ita fabricentur, vt non solum possint ventis ac procellis resistere, sed etiam decus habeant ac nitorem? Si denique vestis, si arma, si tela comparanda sint, satis non est, vt ea valeant omnem a corporibus nostris propulsare vim, nisi quoque nitida ac decora appareant. In ceteris igitur rebus non vtilitas sola, sed etiam dignitas et elegantia vobis cordi est, in oratione autem id, quod proprium et decorum est, contemnendum negligendumque esse putabitis? Non ita sane. Quemadmodum enim rusticanus infimae plebis sermo nobiles viros summopere dedecet; ita sapientum dignitatem maxime deprimit atque deformat oratio rudis, vulgaris et impolita. Quae quanto clarissimis disciplinis dedecori sit, quantoque viros doctos incommodo afficiat, ex iis, quae dicturi sumus, satis aperte videbitis.

Complures quidem, non e grege imperitorum, sed sapientes mirantur, quamobrem per hos dies non eadem sint, quae quondam, proposita bonis artibus praemia, nec opibus, vt olim, augeantur praeclara ingenia, nec honoribus, nec dignitate, nec gloria viri docti, vt superiore memoria, cohonestentur. Dolent, abiisse faustissima tempora, in quibus homines excellenti ingenio, ac singulari doctrina ornatos certatim principes viri apud se retinebant, quos plurimi facere, et tanquam oracula consulere solerent. Dolent, memoria nostra doctrinae studia plerisque viliora esse, ac despecta iacere. Vtinam haec ita falsa essent, Auditores, vt a nobis omnino, aut aliqua ex parte negari possent. Sed vnde eiusmodi doctrinae contemptus? Vnde tantum erga honestissimas disciplinas fastidium? Equidem video, pluris hodie fieri a nobilibus viris peregrinum aliquem augendi luxus artificem, nonarumque deliciarum inuentorem, quam hominem doctrina et eruditione praestantem. Non sum nescius, potentissimos reges hoc tempore bellorum magis, quam literarum studio teneri, et omnem fere literariae reipublicae curam abiecisse. Verum aut ego fallor, aut non hinc potissimum petenda est doctrinae despectio. Ex iis nimirum, qui in studiis modo versantur, in doctrinas hoc malum maxime inuasit. Negligunt hodie plerique omne sermonis decus, dicendique nitorem, quo optimae disciplinae olim tantopere exornari solebant; vnde fit, vt illae sordidae ac squalidae appareant, neque venustate et gratia in sui amorem et existimationem alliciant. Est suus scilicet non modo matronis, sed etiam ingenuis disciplinis cultus et decor, quem si illis detrahas, si illuuie ac situ deformentur, tantum abest, vt quemquam ad se illiciant, suique amore capiant, vt potius nauseam ingentem ac stomachum moueant. Fuit, fuit olim alia, cum barbaries et inscitia dominarentur, bonarum artium aestimandarum ratio ac pretium. Suspexit magnus ille rex Macedonum, Alexander, Choerili poetae versus, magnoque auri pondere locupletandum putauit hominem, quem Horatius Flaccus risu magis, quam praemiis dignum fuisse arbitratus est. Longe alia nunc est temporum nostrorum ratio. Excellat oportet vsquequaque, et sit numeris omnibus absolutum id, quod delicato huius saeculi iudicio comprobetur. Profecto satis non est, per hos dies solidum aliquod, et succi plenum cibi genus mensis apponere, nisi illud et exquisite conditum, et splendidis auro argentoque patinis inferatur. Ita sane aetati huic nostrae minime sapiunt volumina, quae plurima quidem doctrina referta sint,

ſint, ſed impolito incultoque ſtylo confecta, patinis veluti ligneis, aut fictilibus afferuntur. Hoc autem tam limatum et politum iudicandi genus ſi vnquam memoria noſtra in hac Vrbe viguit, in poſterum certe vigebit quam maxime: cum nuper ſingulari Dei prouidentia ad ſummum Pontificatum fuerit euectus Clemens XII. patria Florentinus, e nobiliſſima Corſinorum gente, vir cum omnis doctrinae, tum literarum elegantiorum amantiſſimus, qui in omni fortunae gradu viris doctrina praeſtantibus domum ſuam, tanquam publicum bonorum literarum et eloquentiae domicilium, patere voluit; vt proinde non immerito ſperemus erga homines doctos, et hoc praecipue Romanum Gymnaſium eum talem fore, quales eius ciues Leo X., Clemens VIII., et Vrbanus VIII. fuere Pontifices beneficentiſſimi ac ſempiterna memoria digni. Verum vt eo redeam, vnde paulum diſceſſit oratio, non eſt igitur, cur miremur, quod bonis literis a doctrina ſeiunctis, humiliore loco diſciplinae omnes poſitae ſint, et ab antiquo gloriae ſplendore vſque adeo deſciuerint.

Veteres quidem, ſiue Graeci, ſiue Latini, non rerum tantum, ſed rerum ſimul et verborum rationem habuerunt. Non Philoſophiam, non Ius ciuile, non Medicinam duntaxat didicerunt, ſed verborum etiam, quo de illis loquerentur, quoque illas grauiter et ornate explicarent, ſplendori ſummopere ſtuduerunt: quorum ſcripta cum admirabilem habent dignitatem, tum vero oratio ea eſt ſententiarum grauitate ornata, atque iis verborum luminibus illuſtrata, vt nihil poſſit ab homine vel dici ſublimius, vel diuinius excogitari. Nam vt a Graecis, primis illis locupletiſſimis doctrinarum parentibus, exordiar, quid cauſſae fuit, quod ſapientiſſimus ille Plato, qui a Panaetio philoſophorum Homerus appellari ſolebat, quocum Cicero ſe malle errare, quam cum ceteris vera ſentire profeſſus eſt, ille, inquam, literatorum omnium princeps, ad maximum ingenium, quo a natura fuerat abunde donatus, ſic quoque eloquentiae ſtudium adiunxerit, vt omnes tum rerum ſcriptores, tum oratores, et copia, et grauitate verborum ſuperauerit, ac minime contentus ea gloria, quam ſibi et intelligendi vi, et dicendi praeſtantia comparauerat, commentariis etiam elegantiſſimis editis dicendi doctrinam pertractauerit? Quid Ariſtoteles, alterum ſapientiae lumen, cuius tanta fuit eloquentia, vt a M. Tullio aureum flumen fundere dictus ſit, nonne dicendi artem ſummo ſtudio auditores ſuos docuit, eiſque magis Rhetorum copiam, quam Philoſophorum tenuitatem in diſſerendo propoſuit, quod intelligeret, doctrinam quidem per ſe ipſam prodeſſe, ſed ſi ad doctrinam eloquentia accedat, praeclarum quiddam ac ſingulare exiſtere? Nihil de Theophraſto, nihil de Xenophonte, nihil de Lyſia, nihil de innumeris aliis praeſtantiſſimis Graeciae viris dicam, quos ob incredibilem leporem eloquentiam dicendique leporem non minus, quam ob ſublimium ac diuinarum rerum praeſtantiam tantopere ſuſpicimus et admiramur. Quid vero de Latinis loquar? Profecto ſatis eſt nobis vnum pro cunctis ſummum doctrinae et eloquentiae exemplum, M. Tullius; qui primus e Graecia in Latium cum Philoſophiam aduocaſſet, quam polite, quam diſerte, quam eleganter eam explicauit, viamque ceteris aperuit, ſcientiam illam ſcite ornateque illuſtrandi? Sunt vobis ante oculos eius libri de finibus bonorum et malorum, ſunt volumina Tuſculanarum quaeſtionum, ſunt de diuinatione, de fato, de legibus, tum etiam de amicitia, de

de senectute, ac de omni officiorum genere, tribus libris mirifice comprehensa, quae singula satis per se loquuntur. Neque vero vnus fuit ex omni memoria inter Latinos M. Cicero, qui Philosophiam, Ius ciuile, et omnem rerum scientiam dicendi elegantia exornauerit. Quid enim L. Crassus, Q. Scaeuola, Ser. Sulpicius, L. Lucilius Balbus, C. Aquilius, aliique complures, qui cum summa iuris notitia bonas literas et eloquentiam copulantes, non solum iurisperiti, verum etiam diserti esse et haberi voluerunt? Cuius rei fidem faciunt paucissima illa aurea, quae nobis de eorum scriptis supersunt fragmenta. Certe si vera sunt, quae historiarum monumenta referunt, M. Porcius Cato Censorius, qui non solum optimus ciuis, optimus senator, optimusque imperator, sed etiam magnus iurisconsultus et orator fuit, eloquentiam sic adamasse dicitur, vt mira fuerit eius in dicendo grauitas atque maiestas; et praeter complures, quos de Iure ciuili libros conscripsit, orationes etiam amplius centum quinquaginta elucubratus est. O singularem maiorum nostrorum diligentiam! O admirandum literarum et eloquentiae studium! Quod si ad medicos me conuertam, statim occurrunt doctissimi medicorum principes, Hippocrates et Galenus, qui medendi artem eloquentia praecipue propugnasse videntur. Nam praeter purissimum elegantissimumque dicendi genus, quo vtuntur in iis, quae ad rem medicam explicandam pertinent, in aliis quoque disciplinis exornandis, quae ad optimi cuiusque medici praestantiam requiruntur, talem adhibent splendorem verborum ac sententiarum grauitatem, vt eloquentissimorum nemini cedere videantur. Et quidem Galenus non solum de animorum nostrorum motibus, in quibus concitandis maxima oratoris posita vis est, praecepta pulcherrima docuit, verum etiam integrum de arte Rhetorica opus conscripsit: vsque adeo vir sapientissimus eloquentiam ad artem medicam necessariam esse putabat. Missum facio e nostris, ne dicendo longior sim, Cor Celsum, cuius de medendi facultate commentaria tam nitide venusteque scripta sunt, vt nihil pulchrius. Quis autem sibi persuadeat, viros tales ac summopere occupatos ita ingenio ac tempore fuisse abusuros, si purum eiusmodi et ornatum dicendi genus ad grauiores, quas ipsi profitebantur disciplinas, otiosum prorsus atque inutile iudicassent? Non ita sanae mentis, aut consilii inopes fuerunt, vt quid in vnaquaque disciplina vtile foret, aut inutile, satis superque non intelligerent.

Sed mutata est, inquiunt, iampridem studiorum ratio. Fuit quidem apud veteres non minor verborum, quam rerum cura. Nos autem scientia rerum contenti sumus, cum nemo in vtroque et doctrinae et scribendi studio excellere vnquam possit. Haec est, Auditores, imperitorum hominum vetus et inanis cantilena: quae fortasse nobis aliquantum negotii faceret, nisi praesto essent tot clarissimorum virorum volumina, qui superiore aetate cum rerum scientia, tum dicendi facultate praestiterunt: quorum sane et numerus et auctoritas tanta est, vt ignauorum istorum perfugia obstruere facile possit. Nam renascentibus in Italia duo fere ab hinc saecula literarum studiis, prima sapientum cura fuit, orationem barbarorum maculis expurgare, eamque veteri splendori restituere. Intelligebant enim viri prudentes, fieri non posse, vt liberales disciplinae squalidam, diutinaque macie decoloratam faciem, in viuidam splendidioremque commutarent, nisi succo et sanguine bonarum literarum alerentur. Euoluite quidem temporum eorundem annales, perlegite


perlegite eius aetatis monumenta: nullo negotio percipietis, quo eorum industria et conatus euaserit. Nam tot statim magni nominis philosophi, tot praeclari iuris consulti, tot celeberrimi theologi extiterunt, vt breui temporis interuallo omne doctrinae genus et castitate sermonis, et eloquentiae luminibus illustratum pristinas opes recuperarit. Quid ergo sibi blandiuntur isti ignauiae patroni, qui doctrinae studia cum bonis literis et eloquentia coniungere, rem perarduam et herculeo fere labore dignam clamitant? Maiores nostri potuerunt latinitatis et eloquentiae studia tot annos iam intermortua, ingenti labore summoque conatu quasi ab inferis reuocare, potuerunt emendate politeque scribere: haud poterunt homines nostri delicatuli ea uunc assequi, vbi iam in tot gymnasiis et academiis exposita publice patent? At rerum scientia contenti sunt, verba negligunt. O excusationem ignorantiae minime ferendam. Fateantur potius sese rerum scientiam perinde ac verba negligere. Nam ponamus, quempiam doctrina multiplici instructum, sed naturali sermonis copia carere, vocabula inter loquendum quaerere, et quasi verba enumeret, in singulis periodis haesitare; vel certe, si quam habuit a natura loquendi facultatem, nullum tamen habere vsum recte et accurate dicendi, nullam troporum, nullam figurarum, nullam boni ordinis notitiam illi praesto esse, adeo vt si non aetate, at in dicendo infans esse videatur: peto nunc a vobis, Auditores, quid aget, quo se vertet cum isto suo doctrinae thesauro homo miserrimus? An poterit scientiam, quam sibi tanto labore tantisque impensis comparauit, communicare cum aliis, si deest verborum proprietas, et explicandi facultas? Audebitne cogitata sua coram viris doctis et eruditis palam facere, si sine magna sui difficultate, vel eorum, qui audiunt, molestia, loqui nesciat? O frustra susceptos labores! O inanes tot vigiliarum, quos expectabat, amplissimos fructus! Delitescat nimirum necesse est ob sermonis inopiam tacitus et obscurus, qui intelligendi acumine et eruditionis praestantia inter viros doctissimos eminere potuisset. Fruetur quidem, non inficior, sua secum doctrina, succo suae contemplationis sibi viuens, sed praeoccupata ab aliis doctrinae praemia non sine animi dolore conspiciet. Quod si homines inter cetera ob eam caussam grauissimis studiis vacant, vt reipublicae bono consulant, aut saltem patriae vtilitati prospicere valeant, quid tandem ab iis sperandum, qui aut barbare loqui, aut elingues ac muti omnino esse debent? Habeat quis sane optimas et sapientissimas de republica cogitationes; comprehendat probe ea, quae Plato et Aristoteles, cum de domestica, tum de publica felicitate, praecepta tradiderunt; cognitum illi sit, quicquid de iure belli et pacis Hugo Grotius conscripsit; egregie demum nouerit vel sacros annales, vel decreta Conciliorum, Pontificumque responsa: quid tandem illi proderunt tot tantaeque doctrinae opes, si de illis ipsis haud sciat grauiter ornateque dicere? Scire tuum nihil est, ait ille, nisi te scire, sciat alter. Profecto nisi ad doctrinam accesserit sermo, quem bonum mentis interpretem Philo ille Platonicus appellabat, quid te praeter truncum, aut stipitem, aut hominis vmbram homines iudicabunt? Proinde Lucretius paucissimis illis verbis, hoc est, sapere et dictis rationem reddere, sapientis viri summam comprehendebat.

At vero, dicet quispiam, quid tu nobis fingis eiusmodi homines elingues et mutos, quos loquacissimos omnium esse constat? Ita sane. Quanquam enim

enim multi sunt, quos antea dicebam, qui ob ingenuum pudorem tacere, quam publice balbutire malunt: plures tamen profecto inuenias, qui plus loquacitatis et audaciae, quam pudoris habent, qui nec impure scribere, nec latine nescire turpe putant, se vero doctos et sapientiae promos condos venditant. Age vero, scribant aliquid, aut loquantur docti isti blaterones, vt eos nimirum sollemni more Socratis intus et in cute videamus. O quot quantasque mihi videor videre doctrinarum copias! O quam magna et ampla eruditionis supellex comparatur! Res sacra agitur, proinde quicquid habent Biblia, Concilia, Interpretes, quicquid Graeci ac Latini Patres conscripserunt, in vnum congeritur, vt non tam oratio, quam Polyanthea componi videatur. Quid tum? praeter innumera fere argumenta, quae singulae disciplinae, suam veluti symbolam, conferunt, opus adhuc macrum et exile videtur, nisi addantur et historiarum flosculi, et apologi et poetarum carmina. Satis iam satis, imo plus quam opus sit ad satietatem. Sed quod dolendum magis est, omnia sic confusa, sic perturbata nulloque ordine digesta inferuntur, vt, quale sibi poetae finxerunt chaos, tale opus istiusmodi esse videatur. Nihil loquor dictionem barbaram et lutulentam, nihil noua et inaudita verborum portenta, nihil infelicem sermonis siccitatem et inconcinnam elocutionem, quam sine fastidio audire nemo possit. Hinc tantum abest, vt, qui adsunt, aut qui eorum scripta legunt, doctrinam in ipsis suspiciant et magni putent, vt potius de eorum ingenio pessime iudicent, et homines eiusmodi memoria quidem multa, iudicio autem minimo pollentes existiment! En fructus studiorum vberrimi! En fructuosa magnarum rerum scientia! En viri docti nomen, tot studiis tantisque impensis quaesitum! Temeritatis suae poenas iure ac merito luunt homines imperiti, quod nobilissimas disciplinas impuro sermone foedarint. Poeniteat illos aliquando elegantiores literas contempsisse, quae magnum eorum doctrinae splendorem contulissent et ornamentum. Fateantur sese tot annos in grauioribus studiis frustra contriuisse, humanioribus literis et eloquentia, vnde illa neruos et vires accipiunt, temere atque imprudenter neglectis.

Sed barbaris istis literarum oppugnatoribus summo cum probro et dedecore reiectis, vos iam, Adolescentes optimi, compellat oratio mea. Iam vos probe intelligitis, quam necessaria sint, ad tuendam liberalium artium dignitatem, literarum et eloquentiae studia: quae quidem maiores nostri in omni fere aetate ita cum doctrinae studiis coniuncta esse voluerunt, vt, nisi qui eloquens idemque dicendi peritus esset, nemo sapiens putaretur. Nam rudis et inculta, imo sine voce ac spiritu sapientia est, si quidem sapientia dici possit, cui deest sermonis gratia, dicendique venustas. Proinde mente ac iudicio destitutus omnino sit oportet, qui sine adiumento literarum et eloquentiae praesidio speret aliquem grauissimarum disciplinarum se fructum capere, aut hominem sapientem videri. Haec autem omnia summatim a me dicta fuerunt, non tam ornandae amplificandaeque eloquentiae caussa, cuius dignitatem sustinere debeo, quam quo maxime vtilitati vestrae seruirem, animosque vestros contra literarum et eloquentiae vituperatores confirmarem. Restat igitur illud vnum, quod mihi ad extremam reseruaui orationem, vt scilicet vobis, quod facile sit, maximeque expeditum ad eloquentiam iter, quam breuissime ostendam.

Nolite putare, me proponere vobis velle Hermogenis, aut Demetrii, aut Longini praecepta, vel Oratorias Quinctiliani, aut iunioris cuiuſpiam Rhetoricas inſtitutiones, quas hoc tempore vſus et conſuetudo in ſcholas inuexit. Nolo vos praeceptis eiusmodi obruere, quae, quanquam minime reprehendo, tamen ea per ſe ad hominem eloquentem efformandum haud multum valere arbitror. Vtar ſane viae breuioris compendio. Quemadmodum enim, qui pingendi artem tradunt, tabulam aliquam affabre pictam ante oculos ponunt, vt frontem, ſupercilia, os et ceterorum membrorum conformationem tyrones coloribus exprimere, et, quoad fieri poteſt, ſingula lineamenta corporis imitari ſtudeant; ita quoque vobis ego hodierno die clariſſimum, et ex omni parte abſolutum eloquentiae proponam exemplum, in quo, quicquid ſplendoris, quicquid dignitatis et gloriae dicendi arte continetur, vno veluti aſpectu intueri, et contemplari poſſitis. Is eſt M. Tullius Cicero, Iuuenes ornatiſſimi, qui naturae prouidentia natus eſſe dicitur, vt in illo omnes vires ſuas eloquentia experiretur, qui magisne eloquentiae, an illi ipſi eloquentia debeat, haud quisquam facile iudicauerit: de quo hoc vnum affirmari poteſt, cum in hoc genere ſic eminere, vt ipſius nomen pro oratore, et eiusdem in dicendo facultas pro eloquentia apud poſteros recepta ſit. Nam cum ſe totum, vt Quinctilianus ait, ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxit in ſe vno vim Demoſthenis, copiam Platonis, et Iſocratis ſuauitatem. Quibus non contentus, Latinos quoque omnes accurate perlegit, tropos notauit, figuras obſeruauit, et in vnoquoque oratore, ſi quod eſſet artificium, deprehendit, vt nimirum in ſe vno poſteri haberent, quicquid vſpiam in dicendi facultate exiſteret pulcherrimum et admirandum. Hunc ego, Adoleſcentes optimi, eloquentiae ducem, hunc egregium et immortalem dicendi magiſtrum hodie vobis imitandum propono, in quem omnia veſtra ſtudia, curas, cogitationesque conferatis. Quemadmodum autem non vnus oculorum coniectus in imaginem ab Appelle, aut a Parrhaſio depictam, non vnus penicilli ductus in tabula, neque adumbrata vnius oris lineamenta, pictorem repente faciunt: ita quoque nec vnius Tullianae orationis lectio, neque vna data eloquentiſſimo viro exprimendo ſemihora eloquentiae cupidum ſtatim efficiunt eloquentem: ſed meditatio ſedula, exercitatio frequens, et vſus quotidianus ad eloquentiae faſtigium Ciceronis imitatorem extollunt. Hunc igitur oratorum eloquentiſſimum, quem nonnulli eloquentiae Deum appellare minime dubitarunt, ſi me amatis, nunquam ex oculis, nunquam ex manibus, aut ſinu deponite. Hunc ſpectemus, Quinctiliani voce et cohortatione vtar, hoc propoſitum ſit nobis exemplum, atque ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.



DE

DE

M. TVLLIO CICERONE
IMITANDO

ORATIO II.

HABITA VI. IDVS NOVEMBRIS
AN. MDCCXXXI.

CVM superiore anno ex hoc amplissimo loco studiosis eloquentiae Adolescentibus, qui ad hoc Romanum Gymnasium multa frequentia conuenerant, facile et expeditum ad bonas literas et eloquentiam iter fore praenunciassem, si M. Tullium Ciceronem diligenti ratione studioque sibi imitandum proponerent: fuerunt quidam, quantum ego intellexi, quibus oratio mea probari omnino non potuit; quod cum semper ardua et grauis, magnisque ingeniorum disceptationibus digna quaestio visa fuerit, an videlicet vnus Cicero, an alii quoque boni et praeclari auctores imitandi essent, ego statim quasi e tripode rem definire, nec partibus auditis sententiam ferre ausus sim, vno duntaxat ad imitandum Cicerone proposito; quo circa me temere et arroganter fecisse arguebant, quod tam multos Latinos scriptores, et quidem omnium iudicio elegantissimos, parui fecerim, et M. Tullium, cuius elocutio multorum opinione verbosa, et stylus Asiaticus, ceteris ad imitationem praetulerim. Equidem poteram, caussae bonitate confisus, obtrectationes huiusmodi negligere, cum praesertim nemo eorum, quorum dignitatem reuereri, auctoritatique parere debeo, orationem meam interpellauerit. Verum cum animaduerterem, praeclaram illam controuersiam de vno, aut de pluribus imitandis, inter doctissimos viros fuisse saepe in iudicium magna animorum contentione vocatam, nunquam tamen satis explicatam, nunquam definitam: subiit animum, caussam ipsam quasi comperendinatam recognoscere, non tam vt iudicium meum interponam, quam vt cupidi eloquentiae adolescentes, quos in hac studiorum instauratione frequentes adesse video, cognitum habeant, quid de illa viri graues et docti senserint, quibusque de caussis nos proximo anno vnum Ciceronem prae ceteris imitandum esse statuerimus. Adeste igitur animis, Adolescentes optimi, quos si vnquam alias, attentos vos hodierno die maxime cupio. Agitur enim modo non de oratore, aut de historico, aut de poeta aliquo, vt fieri solet, interpretando: sed de M. Tullio, oratore omnium eloquentissimo, vobis in eloquentiae imperatorem et ducem constituendo. Agitur de praestantissimo dicendi magistro, in cuius imitatione castissimae latinitatis, et germanae eloquentiae fundamenta nituntur. Agitur demum de expedita ac perfacili via, qua optatos et vberrimos ipsius eloquentiae fructus percipere possitis.

Non defuerunt quidem superiore memoria magni nominis viri, qui, siue veterum gloriam se consequi posse diffiderent, siue ingenio suo plus nimio tribuerent, omnem in literis imitandi rationem de medio sustulerunt. Sed hos strenue refellit apud Ciceronem clarissimus orator M. Antonius, qui de Oratore recte instituendo disputaturus, totius veluti aedificii basim imitationem posuit, et tanquam id, quod esset primo cogitandum, praecepit. Ergo hoc sit primum, inquit, in praeceptis meis, vt demonstremus, quem imitemur. Haec eadem Quinctilianus vestigia persequens, ad oratoris stylum efformandum et elocutionem comparandam, multa satis accurate de imitatione conscripsit. Vbi plurimis et eloquentissimis enumeratis auctoribus, ex quorum lectione tum verborum copia, tum varietas figurarum et componendi ratio ab oratore peti debent, illud clare deducit, eloquentiam magna ex parte imitatione contineri. In eadem quoque sententia fuere postea Paulus

Paulus Cortesius, Petrus Bembus, Picus Mirandulanus, Bartholomaeus Riccius, aliique viri plurimi ingenio et eloquentia clarissimi, quorum extant docti et eruditi de imitatione libelli. Et sane cum omnia, quae ad rationem artis pertinent, imitatione cum fieri, tum perfici videamus, anne vna ars bene dicendi, quae omnium difficillima atque pulcherrima, imitationem repudiabit? Cum igitur nullus sit dubitandi locus, quin in eloquentiae studiis nos ad aliorum exemplum conformari oporteat: illud quaerendum superest, multine sint, an vnus M. Tullius ad imitandum, neglectis ceteris omnibus, seligendus.

Atque hic statim mihi videor audire non tam voces, quam clamores et vociferationem eorum, qui rem indignam et iniuriae plenam esse clamitant, in literarum studiis vnum omnibus praeferri Ciceronem, et tot alios graues et magnos literarum parentes, Plautum, Terentium, Caesarem, Sallustium, Liuium, aliosque ingenio praestantes et immortali gloria dignos, tanquam abortus, aut nothos reiici atque contemni. Hoc autem Ciceronis ipsius exemplo confutari quis non videt? Cum ille non vnum, sed eloquentissimum quemque tum Graecorum, tum Latinorum imitandum susceperit, et hoc pacto in se vno effingere potuerit vim Demosthenis, Platonis copiam, et Isocratis iucunditatem: anne in vnum M. Tullium ingenii opes natura effudit vniuersas, adeo vt nihil pulchre, nihil venuste cogitatum, aut ingeniose dictum, in tot aliis praeclaris scriptoribus inueniatur, quod dignum sit, vt nos imitemur? Atqui illud, Cicerone ipso fatente, certum est, in natura nihil ex omni parte perfectum atque beatum existere: perinde ac illa ceteris, quod largiatur, non sit habitura, si vni omnia largiretur. Ex quo fortasse contigit, vt neque Demosthenes ipse Ciceroni per omnia satisfaceret, sed aliquando sibi ille dormitare videretur, quod nimirum, cum ad eum exprimendum se penitus tota mente et cogitatione contulisset, non omnia tamen loquendi ornamenta dicendique lepores in eo reperiebat. Et tu nobis in vno Cicerone cuncta existere, ac nihil omnino deesse persuadebis? Imo tantum abest, vt omnis in eo efflorescat dicendi virtus, vt potius multa praeclari eius aetatis oratores in eodem deprehenderint vitia. Nam dialogi auctor affirmat, Ciceronem, dum adhuc viueret, a Licinio Caluo reprehensum fuisse, tanquam solutum et eneruem, a M. Bruto vt fractum et elumbem, ab aliis vt tumidum, inflatum, redundantem, atque Asianum. Praeterea A. Gellius testatur, Gallum Asinium scribere non dubitasse, Ciceronem parum integre, improprie, atque inconsiderate esse locutum; et Largium Licinium de illo tam male sensisse, vt in ipsum quoque ediderit librum conuicii plenum, cui titulus Ciceromastix.

Audistis, Adolescentes optimi, quae improbo ore in M. Tullium euomunt maledicta, qui vos ab eius imitatione conantur abducere? At vero nisi haec falsa, et contra eloquentissimum virum ab eius inimicis temere efficta deprehenderitis, me hominem impudentem et mendacem arguitote. Nam qui tandem sunt tam acerbae criminationis auctores? ii scilicet, qui partim Ciceronem oderant, partim eius gloriae inuidebant, partim denique obtrectandi studio ad eum vituperandum incitabantur. Nam cum eo tempore nonnulli Romae oratores essent, qui sicco, arido et exsangui dicendi genere vtebantur, quod se Atticorum more dicere videri vellent; quorum oratio pressa erat, ac subtilis: copiosam et profluen-

tem M. Tullii eloquentiam aequo animo ferre non poterant, atque ipsum tanquam fractum et elumbem, otiosum et inanem, vnoque verbo Asianum appellabant. Ex hac schola prodiit Licinius Caluus, qui, vt M. Seneca testatur, iniquissimam diu litem cum Cicerone de principatu eloquentiae habuit, cuius tamen dicendi rationem non modo Cicero ipse vt ieiunam et attritam saepe reprehendit, sed ne Seneca quidem, aut quisquam alius probauit vnquam. Quid ergo mirum, si Caluus idem Ciceroni, quoquomodo potuit, par pari referre, atque ipsum tanquam dissolutum et enervem criminari voluerit? Quae iudicii aequitas exspectari ab eo poterat, cuius animus odio atque inuidia flagrabat? De Bruto autem, qui et vir probus, et Ciceronis amicissimus semper fuit, cuius nomine librum de claris oratoribus Cicero ipse inscripsit, certe quidem aliter iudicare debemus. Etenim non odio, sed amori potius, et singulari erga eundem beneuolentiae tribui debet, quod ipsum de stylo quasi fracto et elumbi, vt sibi videbatur, non inuidiose, sed amice moneret. Erat enim magna inter vtrumque diuersitas styli ac dissimilitudo. Erat M. Brutus, vt a Caesare vocabatur, disertus potius, quam eloquens: contra vero Cicero fluminis instar profluens, fusus et copiosus, ita vt ab eodem Caesare tanquam princeps et inuentor copiae laudaretur. Itaque Bruto, qui siccus erat, et plus in dicendo habebat diligentiae, quam naturae, vbertas et copia Tullianae dictionis omnino probari non poterat. Verum et Calui et Bruti, et omnem illam Atticorum Romanorum nationem ieiunitatis et inopiae peramantem quis acriore iudicio ac vi, praeter Ciceronem ipsum, confutare possit? Ille profecto ad eloquentiam non tam factus, quam natus, in aureo libello de optimo oratorum genere satis luculenter ostendit, quantum intersit, vtrum quis Attice, an optime dicat. Neque enim satis est, inquit, oratori perfecto vitare, si quid in sententia vitiosum, si quid absurdum, aut alienum; in verbis si quid non aptum, si durum, si longe petitum. Haec vitauerunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Attice. At magni oratores, cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine: sed vires, lacertos, sanguinem quaerunt, quandam etiam suauitatem coloris. Id vero desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Attice dicere, id est; quasi sicce et integre; at ample et ornate et copiose cum eadem integritate, Atticorum est. Ex his satis intelligitis, Auditores, quam temere et impudenter in M. Tullio reprehendebant maximam illam ingenii vbertatem dicendique copiam, qui se Atticos, aut Atticorum imitatores profitebantur. Damnabant illi in eloquentissimo viro, quod multorum vitium esse solet, ea, quorum ipsi compotes esse non poterant. Non dicendi facultas, non ingenium, non industria illis tanta fuit, vt admirabilem M. Tullii eloquentiam exaequarent: et cum ipsi imbecilli, sicci, ac ieiuni dicendo essent, praestantissimi oratoris amplitudinem et copiam vituperare maluerunt, quam tenuitatem et inopiam suam confiteri. Quod autem Ciceroni de elocutione a Gallo Asinio, et Largio Licinio obiectum est, id stomachum A. Gellio illud referenti sic mouit, vt illos tanquam sacrilegos de Diis immortalibus male opinantes, et immania quasi monstra appellare non dubitauerit. At vero non tam stomachum, quam risum mouere videntur homines isti amentes et stolidi, qui de integritate ac proprietate latini sermonis cum M. Tullio contendere ausi sint, quem latinae

linguae auctorem et quasi parentem fuisse, communi sapientum iudicio constat. Sed praestat viri doctissimi verba in medium afferre. Vt quidam fuerunt, inquit, monstra hominum, qui de Diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes extiterunt, in quibus sunt Gallus Asinius, et Largius Licinius (cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix) vt scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. Haec A. Gellius. Quae vero imprudenter Ciceroni nugatores isti opponunt de verbo *poenitet*, ab eo perperam vsurpato, aliisque istiusmodi, cum perridicula ac prorsus falsa ab ipso A. Gellio iudicentur acriterque reprehendantur, apud nos tanti non sunt, vt in iis confutandis morari debeamus. Potest is, cui vacat, apud ipsum ea legere atque perpendere: non modo non ineptum esse id, quod M. Cicero dixit, intelliget, sed eleganter, facete, ac festiue dictum.

Iam vero iis, quae Ciceronis splendorem maculis aspergere videbantur, satis superque deletis, ad cetera, quae de illo duntaxat imitando obiecta sunt, faciliorem fore video reliquum orationis meae cursum. Nam quod primo reprehendebant, quod nos, vno Cicerone ad exemplum proposito, ceteros auctores, qui pulchre nitideque locuti sunt, iniuriose repudiaremus, quis non videt, quam sit absurdum, et a veritate alienum? Non equidem repudiandos, et per summam iniuriam abiiciendos eos esse dicemus, quorum perfecta diuino ingenio monumenta suspicimus, ac tantopere veneramur. Imo et plurimum illis nos debere fatemur, et propter ingentem optimarum rerum cognitionem, et propter reconditas doctrinae opes, quas summo labore et industria partas nobis ipsi reliquerunt. Sed in efformando stylo parandaque locutione magistrum omnium optimum M. Tullium illis praeferendum esse putamus. Et sane primo quaeram ab iis, qui omnes bonos auctores a nobis imitandos esse contendunt, an omnes illi inter se styli nobilitate, omnes elegantia et artificio pares existant, an vero alius alio melior, alius alio praestantior existimetur. Si primum affirment, concedi illis profecto potest, quod petunt: non vni eorum opera detur, sed aeque omnibus studium et imitatio impendatur. Quod si, vt res est, negent illos pares esse ingenio, scribendique ratione similes, cur non melioribus operam dederimus, iis, qui minus boni sunt, neglectis? Iam vero non omnes bonos imitandos esse fateantur, necesse est. At si inter illos, qui boni esse dicuntur, vnus longe omnium optimus longeque praestantissimus existeret, in quo quae singula ceteri habent bona, in eo vno vniuersa ampliora ac splendidiora conspicerentur; nonne hunc vnum omnium maximum atque perfectum imitari praestaret, quam ceteros omnes, qui mediocriter boni esse censentur? Atqui hunc omnium principem clarissimum, atque summum, me quoque tacente, M. Tullium esse intelligitis: qui a Caesare, acerrimo ingeniorum censore, tanquam dux et inuentor copiae, vt antea diximus, laudabatur, a Velleio Paterculo vir ingenio maximus, a M. Seneca ingenium, quod solum par imperio suo Pop. Romanus habuit, ab Aquilio Gallo Rhetoricae omnium peritissimus, a Quinctiliano in omnibus, quae in quoque oratore laudantur, eminentissimus, a Lactantio perfectus orator et summus philosophus, a D. Hieronymo eloquii flumen appellatur. Hic profecto talis tantusque vir mira ingenii felicitate omnem dicendi laudem conse-

cutus est, et quae ceteris insunt pulcherrima, in se vno splendide amplissimeque complexus est. Quod quidem ipse in oratore de se modeste fatetur. Nulla est, *inquit*, vllo in genere laus oratoris, cuius nostris in orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Non assequimur, at quid deceat, videmus. Et reuera, si de Graecis loquamur, non est, quod in eo desideretur Demosthenis summa vis, Platonis copia, et singularis Isocratis suauitas, vt Quinctilianus affirmat. Quid vero de Latinis oratoribus, cum in se granditatem Sulpitii, vim Antonii, Crassi leporem, suauitatem Catuli, proprietatem Cottae, splendorem Caesaris, Hortensii flores effinxisse dicatur? Cum igitur in vno Cicerone pulcherrimum et perfectissimum eloquentiae genus habeamus, vnde quicquid egregium, quicquid splendidum et magnificum tum in Graecis, tum in Latinis scriptoribus eminet, in nos deriuare possimus, ad eorumne etiam, quae non ita pulchra sunt, exprimendas imagines curam animumque traducemus? Atqui stultitiae genus est, optimum imitari cum possis, ad id quod mediocre, aut deterius est, cogitationem adiicere. Neque quisquam erit tam amens pingendi artifex, qui si imaginem ab Apelle depictam ante oculos habeat, Polignoti, aut Thymantis curet inspicere tabulas. Cum itaque communi sapientum iudicio, nulla omnino virtus, nullum scribendi lumen, nulla laus in vllo sit, quae M. Tullio non inesse longe praestantior atque absolutior inueniatur, quotus quisque superuacuam rem esse non videt, multos quantumuis bonos imitandos suscipere, cum magis expediat, ad vnum omnium optimum ac praestantissimum, quem imitemur, industriae neruos intendere? Frustra per longas ambages quaerimus, quod recta via maturissime consequi possumus.

At enim Quinctilianus asseuerat, M. Tullium non solum oratorem Graecorum omnium optimum Demosthenem esse imitatum, sed Platonem, sed Gorgiam, sed Isocratem, sed Hyperidem, sed Lysiam; inter Latinos item non vnum, sed multos, quos paulo ante numerauimus, Sulpitios, Antonios, Crassos, Catulos, aliosque sibi ad exemplum proposuisse. Libuit illi quidem apes imitari, quae huc et illuc volantes, flores delibant, et fingendis fauis conficiendoque melle succos ita permiscent, vt eos nemo inde discernat. Quod ergo Ciceroni licuit, erit ceteris interdictum? Minime gentium. Liceat per me tibi quoque omnes bonos imitari, quod Ciceroni licuit, si par ingenium; si par industria, si par scribendi labor et exercitatio tibi cum eo sit. At vero quis ignorat, Ciceronem ingenio plane diuino fuisse, et a primis annis, vt Plutarchus refert, tantum in literis profecisse, vt eius aequalium parentes ad eum videndum commoti fama conuenirent? Quantus autem fuerit in eo fere semper negotiis grauissimis occupato scribendi labor atque exercitatio, cum neque in feriis, neque in ludis, neque in communi otio vnquam esset otiosus, quis dicendo paucis complecti possit? Hinc ille primo de legibus, subcisiua, inquit, quaedam tempora incurrunt, quae ego. perire non patior, vt, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. Et in orat. pro Planco; orationes ego scripsi ludis et feriis, ne omnino vnquam essem otiosus. In Philippicis autem: dico, inquit, me nec reipublicae, nec amicis vnquam defuisse; et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subcisiuis, vt meae vigiliae meae-

que

que literae et iuuentuti vtilitatis, et nomini Romano laudis aliquid afferrent. Verum quid plura? Nonne innumera propemodum et immortalia eius opera, quorum partem iniuria temporum interiisse dolemus, pars in manibus omnium extat, id per se satis superque loquuntur? Cum hoc igitur tali tantoque viro ingenii vim et industriam suam homines isti conferant, qui ad eius exemplum prouocare audent, et omnes bonos scriptores se imitari posse confidunt. Legant diu noctuque, quemadmodum ille se fecisse fatetur, oratores tum Graecos, tum Latinos, qui in laude aliqua fuerunt; exprimant in se omnem omnium eloquentissimorum hominum in dicendo vim: experiantur sese pro virili, aemulari conantes et vbertatem Liuii, et breuitatem Sallustii, et proprietatem Caesaris, et candorem Celsi, et Tullii denique ipsius ornatum et amplitudinem. Nam si id assequantur, tunc non inuiti illis concedemus, vt non vnum Ciceronem, sed omnes quotquot extant auctores, quam volunt libere imitentur. At vero quis animo non comprehendit, quam difficilis et ardua res sit, multos et varios, atque inter se omnino dissimiles scriptores legere, meditari atque concoquere, vt inde vna et simplex, sibique perpetuo constans digeratur, et coalescat oratio, non autem monstrum aliquod exoriatur, cui cum ceruice equina, ex Horatii sententia, iunctum sit caput humanum? Non mihi, sed summo ingenio viro, et in literis et eloquentia maxime exercitato, Petro Bembo Cardinali credite; qui de hac ipsa controuersia ad Picum Mirandulanum, hominem literatissimum, scribens, multorum recte imitandorum difficultate perpensa: fieri non potest, ait, vt, qui multos assequi vna scribendi ratione vult, eius oratio non dissimilis, non impar, non sibi diuersa, inconstansque sit, non inconcinna, non parum cohaerens, dum huius lenitatem, illius vero ardorem, alterius ornatum, alterius negligentiam, quae quidem interdum, vt in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est, sexcenta praeterea alia, multumque differentia scribendi genera qualitatesque complectitur. Et sane quemadmodum stultitiae genus esset, ad vnius hominis os vultumque effingendum, dissimiles multorum hominum vultus assumere, quorum vnus hilaritatem, alter tristitiam, hic benignitatem, ille seueritatem prae se ferat; ita ex multis scriptoribus, quorum lineamenta et color varia ac dissimilia sunt, vnam et eandem velle scriptionem conficere, absurdum est prorsus ac perridiculum. Quis enim facile possit Liuium cum Sallustio, Caesarem cum M. Tullio, Virgilium cum Plauto, aut Terentio vna similique scribendi ratione coniungere, qui dicendi genere inter se differunt quam maxime? Praeterea si viros singulari ingenio praeditos nonnisi multorum annorum studio, multisque vigiliis assequi potuisse legimus, vt ad propriam vnius scriptoris dictionem proxime accederent; quae per Deum immortalem tanta ingenii vis, tantus labor atque conatus, si omnes legendi, omnes imitandi sint? Franguntur vires, contentio animi debilitatur, atque ardor elanguescit, dum in singulis vnius scriptoris lineamentis exprimendis occupamur, et vnius styli faciem pari verborum ornatu et elegantia repraesentare conamur: et tantum nobis ingenii acumen, tantum animi robur, tantam industriam inesse putabimus, vt non vnum, sed omnes auctores recte imitari possimus? O nimiam de se hominum opinionem! O vanam ingeniorum fiduciam! Vtinam homines isti audaces sedulo ad vnum Ciceronem imitandum curas animumque adhiberent.

In hoc vno recte imitando atque exprimendo, omnes profecto alios imitarentur, cum vnus Cicero, raro naturae miraculo, et inaudita ingenii felicitate, consecutus sit omne id, cuius ceteri omnes vix partem aliquam consecuti esse videntur.

Sed ecce alia in M. Tullium aduersariorum tela. Verbosior est, inquiunt, Cicero, quam quod praesens scribendi ratio, consuetudo atque vsus postulent. Amant magis haec nostra tempora pressum, sententiosum et acutum dicendi genus, quam Ciceronianae eloquentiae copiam et lacinias. Satis quidem belle. Sed ab acutis eiusmodi scriptoribus primum peto, an de latinitate et stylo forensi, quo nunc vtimur, an de quocunque alio scribendi genere isthaec dicant. Nam si primum, satis jam alias, cum de latinitate forensi expurganda, tum etiam cum de necessitate eloquentiae in iudiciis hodiernis orationem habuimus, ex hoc ipso loco grauiter diximus, eorumque opinionem, qui nunc Ciceronis eloquentiam e foro esse omnino proscriptam putant, pro virili parte conuellere conati sumus. Quod si de alia quauis scribendi ratione intelligi volunt, excusandi sunt quidem, si praeter paucas illas Ciceronis orationes, quarum notitiam in scholis a pueris habuerunt, nullum aliud tanti viri opus vnquam aut viderint, aut legerint. Nam vt mitius cum iis, qui Ciceronem tanquam verbosum reprehendunt, agamus, quam aliam quaeso erroris excusationem afferre possunt, quam vnam, in qua versantur, Ciceronis ignorationem? Etenim cui verbosior Cicero ipse videatur, si tres eius de oratore libros, tum etiam alios de claris oratoribus, de oratore perfecto, ac de optimo oratorum genere perlegerit, quos omnes presse, subtiliter et acute scriptos esse constat? Euoluant libros tum de Academicis, tum de Tusculanis quaestionibus, de natura Deorum, de diuinatione, de fato, de legibus, aliisque permultis, in quibus praeter infinitam rerum cognitionem eximiamque doctrinam, qua illi abundant, omnia tam sapienter, quam concinne ac senteutiose conscripta inuenient. Quid de officiorum libris ad Marcum filium loquar, in quibus cum tam pulchra de ciuili sapientia et virtutum omnium disciplina disputaret, aequabili et temperato orationis genere vsus est? Huc accedunt tot epistolarum libri ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad M. Brutum, ad Pansam, ad Hircium, aliosque familiares, qui omnes doctorum virorum iudicio octoginta fere numerantur, in quibus sane nulla potest verborum copia reprehendi: sed sic omnia venuste, eleganter sciteque scripta sunt, vt mea quidem sententia, si nulla alia M. Tullii monumenta existerent, sola epistolarum volumina ingenium eius admirabile et quasi diuinum comprobarent. Haec igitur legant, haec serio euoluant, et acri iudicio perscrutentur scituli isti ac peracuti Ciceronianae locutionis censores; et si quid verbosum, si quid inane, aut redundans in iis tandem offenderint, tunc sane Ciceronem nimiae loquacitatis reum faciant. At vero quae summa impudentia est, cum tot praeclara Ciceronis ipsius opera ne de nomine quidem audiuerint, ei de verbosiore stylo diem dicere, eumque indicta caussa damnare? Si in tanta iacent literarum ignorantia, vt quae pressum et subtile dicendi genus, quae autem amplum, copiosum et magnificum postulant, minime videant, cur ea damnant, quae minus intelligunt? Cur virum, quem D. Augustinus modo maximum oratorem, modo Romani auctorem eloquii, modo magnum eloquentiae principem vocat, ipsi tanquam loquacem, et plus nimio verbosum accusant? Sapienter

pienter quidem Cicero, quod obtrectatores isti minime capiunt, varia dicendi genera cogitabat: et cum domi epistolas, sermones familiares, aut dialogos scriberet, concisus, tenuis et quasi humi serpere visus est: cum autem siue in senatu, siue in foro, siue in concione diceret, tanta eloquentiae copia tantaque ingenii vbertate dicere solitus est, vt dicenti maximae Pop. Romani acclamationes maximique doctorum virorum plausus fierent, quasi aliquod eloquentiae numen loqueretur. Atque hinc in foro et iudiciis regnare dictus est, eoque amplitudinis et gloriae peruenit, vt T. Liuius Romanae historiae princeps, tam lepide, quam vere dixererit, ad Ciceronis laudes opus esse Cicerone laudatore.

Habetis igitur, Adolescentes optimi, in vno Cicerone omnem scribendi rationem perfectam et absolutam. Multiplex et varium, quo ille ceteris longe praestitit, dicendi genus, omnem vobis suppeditat singularem styli varietatem, vberrimamque exemplorum copiam. Si dictione simplici, aut temperata vobis opus est, habetis, praeter quaestiones Tusculanas, epistolas familiares, dialogos de amicitia, de senectute, de somnio Scipionis, atque alia sexcenta, quorum lectione stylus eiusmodi formari, maximeque limari possit. Si grandi et sublimi dicendi genere, quod splendidis verbis grauibusque sententiis sese attollat, vti debeatis; vnde vberiora et illustriora peti possunt, quam a Cicerone ipso, huiusmodi exempla? Perlegite praestantissimas eius orationes, praesertim ex Catilinariis secundam, ex Verrinis septimam, tum pro M. Caelio, pro Corn. Balbo, tum etiam pulcherrimas duas pro domo sua et pro Milone, Philippicas demum, quarum secunda supra ceteras eminet, senili maturitate ac sapientia canescentes: quis inter Graecorum, aut Latinorum eloquentissimos oratores sublimiore stylo vnquam scripsit? Quis maiore sententiarum grauitate, aut splendidiore maiestate verborum vsus est? Et erit quisquam tam amens, qui castitatem et elegantiam sermonis dicendique ornamenta in aliis auctoribus inquirere velit, quae omnia in vno Cicerone tam ample, tam plene cumulateque splendescunt? Itaque vos, Auditores ornatissimi, mihi, homini in literarum studiis quantum satis exercitato, vestrique amantissimo credite: plus vobis ad latinitatem et germanam eloquentiam comparandam proderit assiduum ac diligens vnius Ciceronis studium, quam lectio multiplex et diuturna ceterorum omnium scriptorum.



DE



DE

STVDIO POETARVM

AD

LITERAS ET ELOQVENTIAM NECESSARIO

ORATIO III.

HABITA IDIBVS NOVEMBRIS AN. MDCCXXXIII.

Si qua fuit vnquam opinio optimis artibus perniciosa, quae adolescentium nostrorum in suscepto literarum curriculo iter retardaret, aut impediret; ea certe est, quam hoc tempore multi habent de Poeticae facultatis doctrina. Putant enim, se nullum, aut perexiguum ex eiusmodi studio fructum esse percepturos: proinde non modo praecipua carminum genera, leges ac metra discere dedignantur, sed ne ipsam quidem poetarum lectionem, qua certe nihil suauius, nihil est iucundius, audire operae pretium ducunt. Hinc fit, vt statis diebus, qui siue Horatio, siue Plauto, siue Terentio, aliisque poetis a nobis de more interpretandis dedicantur, complures eorum has scholas minime frequentent, qui alioquin oratoribus, aut historicis explicandis haud indiligenter adesse consueuerunt. Quasi vero ex illa poetarum lectione nihil solidi, aut bonae frugis domum referre possint, aut nos homines otiosi alternis diebus poeticis nugis et anilibus fabellis delectemur. Itaque vt aliquando tandem, quam stulte hac in re decipiantur, agnoscant, constitui in hac studiorum ineuntium celebritate poeticae artis vtilitatem ante oculos istorum ponere, vt, qui ad latinitatis elegantiam et eloquentiae dignitatem aspirare volunt, demum intelligant, neglecto poetarum studio, se oleum atque operam perdere; adeoque si quis in illis latinarum literarum est amor, si quod eloquentiae comparandae studium, certo sciant, interesse sua plurimum, iratis musis et Apollini tempestiue reconciliari, vt ipsis fauentibus ad nobilissima eiusmodi studia viam sibi muniant expeditam.

Nolo autem in hoc ipso dicendi aditu diu morari in poeticae laudibus praedicandis, quod nimirum longum esset ac perdifficile. Hoc sane multi ante me oratores, praesertim vero Hermogenes et Aphthonius, clarissimi rhetores, et copiose, et grauiter, et ornate fecerunt. Multa sunt volumina, quae poeticae artis dignitatem, tum etiam vetustissimam, imo diuinam eius originem,

nem, quam illa a Diis ipsis ducere creditur, satis superque commendant. Neque aliquis vestrum ignorat honores amplissimos, quibus tum Graecia, tum Romana respublica poetas, quasi homines caelesti spiritu afflatos, atque ad nos de caelo delapsos, coluit, quos proinde Deorum filios Plato nuncupauit. Et sane quis ab orbe condito fuit vnquam Homero fama illustrior, et omnium ore magis celebratus? Cuius ingenium sine exemplo maximum Velleius affirmauit, eumque solum magnitudine operis et fulgore carminum appellari poetam meruisse. Cuinam Roma ampliores honores, quam latinorum poetarum principi, Publ. Virgilio detulit? Testes sunt Caesaris Augusti literae; testis ipse Pop. Rom. qui in theatrum aduenienti assurrexit vniuersus, atque illum praesentem spectantemque non minus, ac Augustum ipsum, venerari solitus est. Quid dicam plurimos clarissimos reges et imperatores, qui poetica facultate pollere, pulcherrimum sibi duxerunt, neque ex illa minorem sibi gloriam, quam ex re militari, atque orbis imperio comparari posse putauerunt. Infinita sunt equidem nobilissimae facultatis decora, et summa ac prope singularis apud omnes fere gentes poetarum gloria. Sed cum de iis dubitare non possint, nisi qui, rudes prorsus ac barbari, omni literarum notitia carent, ne actum agere videar, ad illa protinus me conuertam, quae ex poeticis studiis maxima consequuntur emolumenta.

Igitur adolescentes nostri in humanioribus literis et eloquentia proficere, quod felix faustumque sit, percupiunt; at musas, et carmina et poetarum libros cane peius et angue oderunt, atque auersantur. Verum vsque adeone boni adolescentes poeticae naturam, ne nomen dicam, ignorant, vt, quanta sit inter bonas literas et eloquentiae studium cum poetica disciplina coniunctio, minime videant? Ignorantne eloquentiam, a poetica tanquam a parente filiam ortam atque progenitam? Audiant grauissimae auctoritatis viros, Strabonem et Isidorum, qui tam apud Graecos, quam apud Latinos longe antiquiorem carminum, quam prosae, curam fuisse testantur. Audiant Plutarchum, qui in suis opusculis, tum in libro de musica, tum in eo, in quo docet, quomodo a iuuenibus poetae audiendi sint, inter cetera luculenter ostendit, poeticam omnis disciplinae fuisse initium. Et sane, si poetae iam tum dispersos homines in vnum locum congregasse, et mira dulcedine carminum ex agresti illo ac ferino viuendi genere ad mitiorem et humaniorem vitam traduxisse perhibentur, quis dubitet, poeticae inter reliquas disciplinas principem locum esse tribuendum? Ipsa quidem multo prius, quam eloquentia, potuit agrestes et immites hominum animos mulcere cantu, et ad pulchritudinem virtutis allicere. Ipsa prior apud illos de immortali Deorum natura disserere, eorum laudes canere, et sacra facere instituit, vnde poetae primi et Theologi, et Sacerdotes vocati sunt.

At dicet quispiam: non de dignitate, aut origine disciplinarum lis est: sed cui bono adolescentibus ad eloquentiam properantibus poetica sit, abs te quaerimus? Ita sane. Ego equidem a poetis omnem latinarum literarum elegantiam et eloquentiae laudem in nos deriuari contendo. Quis enim hac nostra aetate latine scire aut latine scribere cupiat, qui longe melius ex ipsa poetarum lectione, quam ex Grammaticorum schola voti compos non fiat? Aetatem quis terat in Grammaticorum subselliis; audiat complures annos Priscianum, audiat Seruium et Donatum, percurrat Aluarum, perlegat Scioppium, aut quoscunque

cunque alios, qui de Grammatica diligenter accurateque scripserunt: quid illi diuturnus adeo, atque improbus labor tandem proderit ad latinae locutionis castitatem et elegantiam comparandam? Nihil profecto. Nam, vt Quinctilianus affirmat, quid aliud est Grammatice loqui, quam omnino latine non loqui? Erit quidem tibi sine barbarismis, aut soloecismis oratio, erit immunis a censoria Grammaticorum virgula sermo: sed macer, et exsanguis, et veluti corpus, in quo nihil praeter ossa, aridum ac sine spiritu. Contra vero, si Plauto ac Terentio te dederis, si Virgilium atque Horatium, si Catullum ceterosque elegantiores poetas in manus persaepe sumpseris, haud multum aberit, quin, in Latium quasi translatus, latinam linguam arripias, et non minus latine loquendo, quam latine scribendo valeas. Et sane, ex quonam fonte summus ille latinitatis magister ac parens, Cicero, proprietatem sermonis nitoremque verborum hausit, vtrum ex Varronis Grammatica, an ex perpetua Plauti, Terentii aliorumque poetarum lectione, quos, quamdiu vixit, in oculis habuit atque deliciis? Si quis vel paululum ad singulos eius libros animum adiiciat; facile intelliget, quot passim occurrant, veluti in prato, flores, scite et eleganter dicta, quae ille a poetarum lectione collegit. Quot enim apophthegmata, quot adagia in eius libris de officiis, de diuinatione, in quaestionibus Tusculanis, tum etiam in admirandis ac prope diuinis illius orationibus, in quibus omnis eloquentiae amplitudo, veluti in theatro, exspatiari visa est? Vnde breues illae et illustres sententiae: *homo sum, et nihil humani a me alienum puto; obsequium amicos, veritas odium parit; neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam*, atque alia sexcenta, nisi ex poetis, vt singula verba testantur? Neque vero id tantum M. Tullio, sed ceteris quoque oratoribus familiare fuisse Quinctilianus affirmat. Credamus, inquit, summis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem caussarum, vel ad ornamenta eloquentiae assumunt. Nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequentius tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuuii, Lucilii, Terentii, Caecilii, et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis, cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. Ex iis iam plane constat, quam turpiter hallucinentur, qui poetarum lectionem tanquam inutilem damnant, et adolescentium e manibus poetas stultissime excutiunt. Sunt profecto poetae genus hominum, inter scriptores omnes eloquendi studiosissimorum. Hanc ipsis laudem tribuit acerrimus omnium vnus latinitatis censor, Laurentius Valla, qui in aspera illa contra Bartholomaeum Facium de quibusdam latinis vocibus pugna, M. Tullii auctoritate minime contentus, ad poetas ipsos, quos omnium in dicendo castigatissimos vocat, prouocare non dubitauit. Et sane quis Publ. Terentio purior et elegantior, cuius mira est amoenitas, iudicium ac venustas; cuius incredibiles lepores, vt Iosephus Scaliger ait, vix centesimus eruditorum quisque videt? Quis Plauto magis excultus, magis venustus, vnoque verbo, magis latinus, quem latinae linguae et elegantiae principem A. Gellius appellat, cuius ore musas locuturas fuisse, si latine loqui vellent, Aelius Stolo dixisse fertur? Quis denique Catullo, quis Publ. Virgilio, quis Horatio Flacco proprietate dicendi et nitore praestantior? Non immerito hos atque alios elegantissimos eiusmodi poetas, tanquam

tanquam optimos latinae linguae auctores, vna cum Caesare, cum Corn. Nepote, cum M. Tullio aliisque praecipuis latinae linguae parentibus recensere non dubitarunt Hadrianus Cardinalis, Borrichius, Cellarius, Funccius, Facciolatus aliique emunctae naris censores ac viri doctissimi. Et reuera, si poetarum fontes arefcerent, non tam florentem, foecundam atque vberem latinam linguam haberemus.

At enim diligens et accuratum vnius Ciceronis studium ad omnem latinitatis nitorem et copiam comparandam satis esse videtur. Quid? Nonne duos ab hinc annos tute ex hoc ipso loco M. Ciceronem vnum omnium maxime castitate sermonis dicendique venustate ceteris auctoribus praeferendum esse affirmabas? Illum scilicet latinitatis parentem, illum elegantiae magistrum, illum denique eloquentiae ducem et imperatorem esse praedicabas, proinde illum ipsum nos vnice debere complecti, et pro viribus imitari. Cur ergo nunc poetas tantis in caelum laudibus tollere, eosque nobis tanquam latinitatis elegantioris magistros obiicere? Video, Auditores, poetarum caussam summum in periculum ac discrimen esse adductam. Aut enim M. Tullium poetis, aut poetas M. Tullio de suo iure cedere necesse erit. Itane vero? Quid, si M. Tullio ipso auctore, vos ad poetarum studia incitari, vrgeri ac propemodum compelli ostendam? Nemo fere est in Ciceronis libris vel mediocriter versatus, qui non intelligat, quantam Ciceronianae imitationi vim et dignitatem conferat diligens et assidua lectio poetarum. Nam vnde tot sales, vnde tot festiuitates, vnde tot lepores Cicero ipse in sua scripta deriuauit, nisi a poetis? Proinde ille saepius oratori, quem suscepit instituendum, et praeclaro suimet exemplo, et grauissimis verbis inculcat, non minus quidem poetas, quam oratores esse legendos. Itaque in lib. 3. de oratore: omnis, inquit, loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Nec multo post eandem incudem tundens, de subtiliore literarum ratione loquens, hanc, inquit, alit consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, confirmant libri, et lectio veterum oratorum et poetarum. Audistis? ad elegantiam latine loquendi, ad interiorem literarum cognitionem non sola oratorum lectione, sed poetarum quoque intelligentia atque vsu vobis opus est. Hac autem de re vos non Homerus, non Euripides, non Horatius monet, aut alius quispiam e genere poetarum: sed oratorum dux et antesignanus, M. Tullius, cuius auctoritas apud vos si tanta est, quanta profecto esse debet, iam plane videtis, quo loco et existimatione poetas habere debeatis.

Sed iam tempus est, vt, quantum ad eloquentiae dignitatem poesis ipsa conferat, clariore argumento percipiatis. Nemo vestrum ignorat, eloquentiae splendorem et decus ab elocutione potissimum proficisci. Haec nimirum orationem veluti lux illuminat et colorat; haec res variis tropis et figuris exornat; haec denium facit, vt sermo eloquens ab omni alio dignitate et naturali pulchritudine distinguatur. Omnes autem intelligunt, elocutionem ad oratores a poetis, vt Aristoteles ait, esse profectam. Quanquam enim non sit apud oratores et poetas eadem loquendi ratio, imo poetae alia quadam lingua, vt Cicero affirmat, loqui soleant: splendidam tamen vberrimamque et verborum et sententiarum supellectilem oratori poeta suppeditat, vnde oratio fiat ditior, et figuris veluti luminibus illustretur. Atque hinc est, quod Cicero in libris de oratore eloquentiae candidatos tam saepe serioque monet, vt meminerint.

minerint, se non oratorum tantum, sed et poetarum studio deditos esse debere. Et sane quis non videt, omnem granditatem orationis, omnem peregrinam et a vulgari abhorrentem conformationem verborum, omnes figuras insigniores non ab alio scriptorum genere peti, quam a poetis? Non est, quod longius, confirmandae rei caussa, argumenta conquiramus. Satis est, vt vnam, vel alteram M. Tullii orationem ad memoriam vobis reuocetis, in qua non adumbrata, sed expressa poetarum vestigia conspicietis. Recordamini, si placet, grauissimam illam non minus ac festiuam pro M. Caelio, quam anno superiore explanauimus. Agebatur caussa summis inuoluta difficultatibus, ac multis tricis implicata. Quaestio erat de veneno, primariae foemina a M. Caelio comparato. Tres vrgebant Caelium accusatores acerrimi, Herennius, Balbus, et Publ. Clodius, homo furiosus, et Clodiae sororis vltor infestissimus. Haud deerant graues de iuuene M. Caelio suspiciones: aurum a Clodia commodatum, quod illi reddere tenebatur, immodici sumptus, aes alienum, ac praeterea Catilinae familiaritas, quae eius pudorem et famam attriuerat. Oppugnabat denique Caelium foemina nobilis ac furens, quae, quantum adolescentis ipsius amore antea deperierat, tantum postea odio ac furore inflammata in illum ferebatur. At Cicero, Caelii defensione suscepta, conuulsisque firmioribus obiecti criminis fundamentis, vt hinc mulieris audaciam procaciamque comprimeret, illinc iuuenis leuitatem excusaret, et innocentiam tegeret, quot et quanta a poetis eloquentiae subsidia collegit? Quid enim Appius ille caecus ab inferis excitatus, quem ad Clodiam, tanquam Clodiae gentis dedecus ac probrum, lepide simul et acriter insectandam coram iudicibus loquentem sistit? Quid subtristis illa ac seuera Caeciliani senis persona inducta, vt M. Caelium obiurget, quod in nimiam Clodiae familiaritatem se dederit, quod se in eius viciniam contulerit, quod, cognitis illius illecebris, ab ea domo pedem non continuo retraxerit? Quid postremo verba illa partim a Comicis, partim a Tragicis scriptoribus accepta, quibus ad eiusmodi personas viuis eloquentiae coloribus exprimendas vtitur: *Nunc enim demum mihi animus ardet; nunc meum cor cumulatur ira. O infelix, o scelesle! Egone quid dicam? Egone quid velim? Quae tu omnia tuis foedis factis facis, vt nequicquam velim*; atque alia multa ex Caecilio poeta vsurpata, quae, quantum ornamenti et leporis orationi Caecilianae conferant, paucis explicari non potest. Et quod magis est, poeticis huiusmodi figuris et salibus respersa oratio tantum apud iudices valuit, vt, impudentissimae foeminae moribus ad vnguem expressis, omnem veneni suspicionem a M. Caelio amoliretur, atque illum iudicio periculoque liberaret. Neque mirum, si ea facilius persuadere solent, quae magis delectant ac mouent; qua in re nemo magis quam poeta valet. Quis enim melius tot tamque dissimiles animorum nostrorum motus effingit? Vbi profecto clarius, quam in scena, videas alios iracundia furentes, alios amore insanos, alios contabescentes auaritia, aut luxu perditos, hos laetitia exultantes, illos metu pallentes atque suspensos; adeo vt nulla sit in communi vita perturbatio, cuius exemplum ab ipsa scena peti minime possit. Cum itaque opes et copias suas eloquentia in hoc maxime ostentet, vt mentes hominum, quo velit, facile, impellat: quis non videt, quantum oratori ad caussam obtinendam profit, poetarum ipsorum virtutes persequi, eandemque concitandorum animorum

animorum rationem sibi comparare? Finitimus est, inquit Cicero, oratori poeta, cuius virtutes omnes persequitur, cum numeris sit adstrictior, ornandique generibus socius ac paene par.

Atque hinc est, quod prisci rhetores et eloquentiae magistri Menandrum praecipue pueris lectitandum et ediscendum dabant, quo facilius poeticae virtutis praestantiam et dotes eisdem instillarent, et expeditam ad eloquentiam viam sternerent. Quamobrem Dio Chrysostomus in oratione, quae de exercitatione dicendi inscribitur, inter cetera suadet in primis, vt Euripidem Tragicum et Menandrum Comicum assidue in manibus habeamus, atque eos non legamus tantum, aut recitemus ipsi, sed vt coram nobis suauiter et canora voce eorum versus pronuntiari iubeamus, cum certum sit altius a nobis penetrari solere sensus verborum, cum a legendi molestia liberi sumus. Quo facto quis non intelligit, veteres dicendi magistros et styli magnificentiam, et eloquentiae splendorem, et actionis ipsius dignitatem, ipsa poetarum recitatione nobis sedulo insinuare voluisse? Tanta nimirum est eloquentiae cum poeticae studio coniunctio, tanta oratorum cum poetis affinitas, vt sine his, illi nullo modo consistere posse videantur. A poetis enim orator habet plene ac numerose dicendi rationem, quod quidem non obtinet, nisi qui aures habeat in poeticis numeris diu tritas multumque exercitatas: a poetis sententiarum grauitatem ac splendorem verborum, quibus ita rem exornat atque illustrat, vt non tam illam audire, quam oculis intueri videamur: a poetis denique sublimioris styli maiestatem quae audientium animos extra se quodammodo rapiat, et admirationem quoque ab inuitis extorqueat; vt proinde, qui de arctissimo cum eloquentiae poeticae vinculo dubitant, quasi de clarissima solis luce dubitare videantur. Quamobrem singulari Dei Opt. Max. prouidentia, renascentibus post diuturnum et luctuosum naufragium in Italia bonis literis, quid aliud operae primum sibi sumpserunt, Valla, Philelphus, Bembus, aliique plures immortalis memoriae viri, ad eloquentiam veteri splendori restituendam, nisi obsitas squalore ac rubigine musas abstergere, atque Apollini irato litare? Ex quo factum est, vt sub idem fere tempus tot repente prodierint veluti ex equo Troiano viri, non minus in poetica, quam in arte dicendi praestantissimi, vt, quis vtra magis excelleret, haud facile diiudicari possit. Vix enim fuit quisquam per ea tempora alicuius nominis doctrina et eloquentia clarus, qui simul poeta egregius non esset, cuius non exirent in lucem vna cum soluta oratione varii generis carmina, hymni, elegiae, poemata, quorum bona pars ad nostram vsque aetatem peruenit, adeo, vt Lilius Gyraldus, inito aetatis suae poetarum calculo, duos libros impleuerit. Intelligebant quippe viri sapientes, neglecto poetarum studio, nullum neque ad eloquentiam, neque ad omnem siue Graecam, siue Romanam eruditionem, aditum sibi patere, cum infinita fere sint antiquitatis mysteria, quae tum Graecorum, tum Romanorum in carminibus latent poetarum. Sed paulatim eo me dicendo abreptum video, vnde nec facile, nec breui emergere possit oratio; si nimirum dicere aggrediar, quanta sit non modo cum omni antiquitatis eruditione, sed cum ceteris quoque clarissimis disciplinis poeticae facultatis societas atque coniunctio. At nolo extra ostium limenque pedem efferre. Satis mihi erit, si humaniorum literarum et eloquen-

 tiae

tiae ſtudiis poeſim maxime neceſſariam comprobauero.

Vos itaque, Adoleſcentes optimi, iam intelligitis, quanti aeſtimare debeatis poeticae diſciplinae ſtudium, poetarumque lectionem. Continet illa purioris latinitatis ſuccum et ſanguinem; continet elegantiores dicendi veneres; continet maſculae eloquentiae robur et dignitatem. Non deſunt in poetis verborum ſplendor et ſententiarum grauitas, quibus oratio ſublimior incedat; non deſunt iocandi lepos, ſales ac facetiae, quibus ſermo quandoque condiatur. Ineſt illis antiqui incorruptique ſermonis venuſtas et gratia, quibus dotibus dialogi, epiſtolae, aliaque ſcribendi genera magnopere commendantur. Poſtremo ad omnem antiquitatis intelligentiam facem vobis poetae praeferunt. Sublatis enim de medio poetis, quam pauca nobis eſſent explorata atque comperta de moribus, de ritibus, de religione veterum Romanorum? Quanta nos lateret rerum innumerabilium ſcientia; quam poſteritatis memoriae poetarum carmina tradiderunt? Proinde ſi vobis cum in his, tum in aliis optimis ſtudiis excellere cordi eſt, ſi prae ceteris eloquentiae dignitas vobis arridet: nolite de ſinu poetas vnquam abiicere, nolite poetarum ſtudia diu noctuque intermittere: breui multos ingenteſque fructus inde vos percepiſſe cognoſcetis.

DE PRAEMATVRA INGENII SVI OPINIONE

ORATIO IV.

HABITA IDIBVS NOVEMBRIS AN. MDCCXXXIV.

ANIMADVERTI ſaepe, PP. ampliſſimi, optimis diſciplinis magis conducere hodierno die praefari quidpiam, quod ad earum progreſſum et incrementum referatur, quam ad ipſarum laudes nouo aliquo et ſingulari argumenti genere celebrandas orationem adornare. Quis enim hoc tempore adeo rudis et imperitus exiſtit, qui non intelligat, quantus ſit literarum ſplendor, quanta dignitas et amplitudo? Quis animo non comprehendit, et maximas vtilitates ex literis in hominem deriuari, et voluptatem incredibilem ex earum ſtudio percipi, et immortalem nominis gloriam ex illarum vſu comparari? Haec profecto omnes intelligunt, ſciunt omnes. Ignorant tamen non pauci homines, adoleſcentes praeſertim, impedimenta plurima literarum ſtudiis aduerſari, quae cupientibus progredi iter retardant, ac remorantur, vel etiam omnino intercludunt. Proinde ſyrtes huiusmodi et ſcopulos iuuentuti ſtudiis deditae

deditae praemonstrare valde expedit, ne illis incauta adhaetescat, ac naufragium miserrimum faciat. Neque vero hodie mihi mens est, omnia dicendo persequi, quae literarum cupidis magno studio declinanda esse intelligo: infinita enim susciperetur oratio, quae et vsitatae breuitatis modum excederet, et nimis patientia vestra abuti videretur. Sed vnum ex multis seligam, quod, tanquam studiorum omnium pestem et labem, velis remisque fugiendum esse puto: opinionem dico illam, quam quis habet de suo ingenio, literis et doctrina praematuram. Hanc sane studiosae iuuentuti inimicam, hanc ingeniis infestam esse maxime iudico. Proinde vos, Adolescentes optimi, quorum caussa potissimum agitur, adeste animis, dum ego pro virili parte adnitar vobis ostendere, nihil esse discentibus immatura hac doctrinae opinione perniciosius, nihil idcirco vobis maiore cura studioque cauendum.

Et quidem cogitate mecum, Auditores, quanta sit cuiuscunque disciplinae amplitudo; in quem late patentem campum excurrere debeat is, qui vel in vna scientia sibi primos ordines ducere proposuerit. Multa reuera sunt, quae in tanta librorum vbertate exquirenda occurrunt; multa, quae ad criticae normam expendere, multa, quae recto iudicio acutoque examine diiudicare necesse est. Tot vero tantisque tenebris veritas inuoluta delitescit, tam abdita, tam recondita, et ab oculis nostris tam longe recedit, vt, qui illam in profundum demersam puteum finxerunt, nil verisimilius fingere potuisse videantur. Verum quo clarius id, quod dicimus, in vna aliqua facultate, quasi coloribus, expressum videatis: ponite vobis ante oculos praestantissimam medicinae scientiam, cuius siue dignitatem, siue vsum, siue necessitatem spectemus, ea certe est apud omnes gentes disciplinarum omnium maxime exculta. At vero quae et quanta, Deus immortalis, bonarum artium, rerumque varietas praecognita esse debet homini, medicam artem profitenti? Si quis secum reputet, quam diuersa sit constitutio corporum, quanta hominum ex aetate, sexu, loco, coelo, educatione, consuetudine, studiis dissimilitudo, quot et quam contraria ex contrariis et pugnantibus caussis morborum genera, quot febrium classes, quot denique mortis casus: facile intelliget, medendi artem opus esse difficillimum, ingenio hominum maius, et quasi diuinum. Proinde nisi ad illam quis Graecarum literarum scientia instructus accedat, nisi physica bene didicerit, nisi humani corporis fabricationem, singularum partium texturam vsumque nouerit, nisi sanguinis humorumque naturam, vim motumque perceperit, nisi demum morborum caussas, et medicamentorum vires satis explorauerit, is maturandae potius necis, quam salutis reparandae auctor existet. Quo factum est, vt homines ingenio ac doctrina praeclari tot aetates in corpore humano eiusque partibus perscrutandis desudauerint, ac de mirabili earum structura, de morbis, eorumque curatione infinita prope volumina posterorum memoriae reliquerint. Etenim negari non potest, praeter Hippocratis et Galeni labores prope immensos, praeter Auicennae aliorumque Arabum vigilias, ad artem medicam plurimum lucis ex assiduo recentiorum medicorum studio atque industria accessisse. Nam et lacteas venas Asellius, et originem neruorum Varolius, et Eustachius renum, et Vesalius oesophagi glandulas inuenerunt. Inuestigauit Versungius ductum pancreaticum, thoracicum vero Pequetius. Praeterea Harueio, seu potius Andreae Cisalpino, debemus sanguinis periodum.

riodum, Borellio motum musculorum, Malpighio pulmonis, Bellino renum structuram et visum, atque aliis alia sexcenta. Verum quid postea? Si verum fateri volumus, haec omnia certe paucissimis morbis curandis sufficiunt; et in tanta adhuc medicae artis obscuritate versamur, vt per hos dies ille vnus medicorum praestantissimus habeatur, qui medica facultate minus vtitur, quique minima, aut fere nulla aegris medicamenta praescribit.

Haec autem, quae aliquanto fusius de Medicina dixi, non modo de Philosophia vniuersa, de Iuris scientia, de Theologia, aliisque clarissimis facultatibus, pari ratione dicta esse volo: sed de iis quoque inferioris subsellii artibus, quae, si non dignitate, ac certe amplitudine rerum, et discendi difficultate possunt cum ceteris disciplinis optime comparari. Nam si liceat quoque nobis in hoc quodammodo gloriari, quot vigilias, quot labores, quot annos demum postulat latinae linguae subtilior intelligentia ac stylus? Quam multa ac sedula historicorum, oratorum ac poetarum praesertim lectione nobis opus est, vt omnem verborum latinorum vim, proprietatem et elegantiam comprehendamus? Quantum eniti, et toto, vt aiunt, pectore incumbere debemus, vt ad illam veram germanamque veterum latinitatem, *vnde longissime recessimus*, propius accedamus? Dicam libere, Auditores, id, quod sentio, quanquam fortasse multis hoc, quod dicam, paradoxi genus videri possit: ad intimam plenamque notitiam atque vsum latinae linguae integra vnius hominis aetas vix satis est. Anne dubitatis? Legite, si vultis, ea, quae de latino sermone diligentius annotarunt Laurentius Valla, Hadrianus Cardinalis, Ant. Schorus, Obertus Gifanius, Franciscus Syluius, Ausonius Popma, Godeschalcus Stewechius, Franciscus Vauassor, Caspar Scioppius, Io. Vorstius, aliique viri literis et doctrinis elegantioribus clari: tum vero me, si potestis, de mendacio, aut de inani iactatione arguitote. Et tamen tam multi sunt hoc tempore, qui tantum sibi de perfecta latinitate tribuunt, vt a M. Cicerone sese haud longe abesse sibi ipsi persuadeant: quos nihilominus, nisi ego desipio, vix inter imi subsellii discipulos grammaticus ille Priscianus admitteret. Ego equidem de me illud ingenue fateor, etsi viginti fere annos in hoc Romano Gymnasio in poetis, historicis et oratoribus interpretandis operam meam, qualiscunque illa sit, collocauerim et quotidiano prope vsu latinam linguam recoluerim: adhuc tamen affirmare non ausim, me satis latine scire; cum singulis fere annis aliquid mihi nouum de proprietate et elegantia latini sermonis, aut de germano sensu et intelligentia latinorum scriptorum occurrat, quod praeteritorum quidem annorum studium et industriam fugerat. Hoc autem non tantum mihi, ingenii mediocris homini, vsu venit: sed Camerario quoque, sed Lambino, sed Lipsio, sed Manutio, aliisque summis viris, contigisse videmus, qui ad locupletissimos, quos iampridem de Cicerone, de Horatio, de Cor. Tacito aliisque latinis scriptoribus ediderant commentarios, curas deinde secundas et tertias addere minime dubitauerint. Multa enim in illis euoluendis occurrunt rara, recondita, et paucitate scriptorum eius aeui obscura; multa quoque ex non vulgatis ritibus, et vetustissimo iure repetenda, quae diligentissimi cuiusque viri acumen effugiunt. Quod si minora haec studia sunt eiusmodi, vt plurimis annis, ac repetitis laboribus omnia vix intelligi atque explorari possint: quid demum erit de sublimioribus disciplinis cogitandum?

Cui tanta vis ingenii, cui tam acre iudicium, vt vnico quasi haustu eas vorare, seque illis ingurgitare queat, cum praeter immensam latitudinem, tantam quoque pleraeque inter se habeant societatem, vt vna ab altera diuelli nullo modo possit? Quis enim bonus iureconsultus, qui in Graeca et Romana antiquitate sit hospes? Quis in ecclesiastica, vel in profana historia satis eruditus, qui Chronologiam et Geographiam bene cognitas et perspectas non habuerit? Quis demum in sacra Theologia satis versatus est, cui et diuinarum literarum volumina, et sacrorum Canonum leges, et Ecclesiasticae memoriae annales familiares non sint? Profecto nemo negauerit id, quod et Plato et M. Tullius vno ore affirmant: disciplinas nimirum omnes miro consensu concentuque conuenire, et quodam societatis vinculo colligari. Vnde illud etiam consequitur, vt nemo vnam perfectam et omnibus suis numeris expletam obtinere possit, qui ad alias quoque haud minore studio industriaque non aspirauerit.

At, dicet aliquis, complures sunt adolescentes peracuto ingenio, multaque intelligendi vi praediti, tum etiam diuina quadam memoria instructi, qui res tam mira facilitate percipiunt, vt, quicquid legerint, vel audierint, memoriter referant. Hi paucis quidem annis, nec multo labore ad summa peruenient. Ita sit sane. At poteruntne ingeniosi isti Mineruae filii ac salaputia diserta cum priscis illis sapientiae parentibus Platone, Aristotele, M. Tullio aliisque huius notae praestantissimis viris, solertia mentis et ingenil praestantia conferri? Fac ita esse. Videte quantum ipsis tribuo, ac plus nimio liberaliter concedo. Sint itaque cum antiquis illis memoria, ingenio, tum etiam iudicio pares. Verum minorene, quam illi studio, minore industria, minore labore doctrinam sese consequi posse confidunt? O arrogantiam singularem! Quod illi sibi pertinaci tot annorum cura ac diligentia compararunt, tu adolescens mollis et delicatus, tu ludis et voluptatibus, vel etiam, si superis placet, ventri somnoque deditus, vno vel altero biennio obtinebis? Alio sane calculo maiores nostri doctrinarum studia, cum propter earum praestantiam, tum propter acqnirendi difficultatem aestimarunt. Septemdecim quidem annos Platoni magistro Aristoteles operam dedit. Vnum et octoginta, quotquot vixit, annos Plato ipse in studiis elaborauit. Hippocrates vero hominum vitam breuiorem esse pronuntiauit, quam vt omnibus iis, qnae ad artem medendi pertinent, comparandis sufficeret. Nihil dico de M. Varrone, nihil de M. Tullio, nihil de vtroque Plinio, nihil de Plutarcho aliisque innumeris, quos ad extremum vsque vitae spiritum in literis vixisse memoriae proditum est. Et iunenes nostri tantum sibi ipsi tribuunt, vt perexiguo studio paruoqne tempore in aliqua facultate excellere, et in ea familiam ducere sibi stultissime persuadeant? In magno sane errore versantur. Ego quidem sic existimo, homines istiusmodi opinione sui plenos nunquam veram solidamque doctrinam esse assecuturos. Cum enim opinio illa, quam de ingenio suo habent, ingentem sui fiduciam pariat, fiducia vero ista negligentiam studiorum, negligentia autem studiorum inscitiam et ignorantiam: quid tandem bonae frugis erit ex illis expectandum? Actum est profecto de studiis hominum istorum. Actum est de egregia eorum indole ac fama. Perniciosa quidem atque exitialis ingenii sni opinio omnes industriae neruos infringit, et praeclaros ad laudem cursus intercipit. Proinde Bias ille vnus ex Graeciae sapientibus ventosam istam sui opinionem vocabat maxi-

mum literarii profectus impedimentum. Cui recte illud Senecae consonat: multi, inquit, ad doctrinam venissent, nisi ad eam se peruenisse putassent.

Quod si homines isti iudicant, omnem hodie doctrinae laudem librorum titulis et indicibus contineri; si virum apprime doctum putant eum, qui in eruditorum Lipsiensibus actis perlegendis curiosus, in amicorum coetu permulta recitat auctorum nomina, quae quotidie ex diariis exterarum gentium ad nos deferuntur; quis non videt, quam in hoc turpiter hallucinentur? Librorum titulos et indices texere, non viri docti, sed eruditi bibliopolae laus est. Profecto est aliquid altius supra scriptorum indices, quo contendere debeat is, qui inter doctos iure et merito sit recensendus. Nam aut ego fallor, aut is vere doctus dici potest, qui et perfecte loqui, et, si quando opus sit, grauiter et ornate sententiam suam dicere possit; qui veri et falsi cognitionem habeat; qui mente coelum, maria, terras permeare, qui naturae vim et rerum caussas cognoscere; qui abs se propulsare vitia, ac mores emendare; qui priuatam domum regere, et rempublicam administrare optime nouerit. Hunc ego literis bene instructum, hunc bonis artibus eruditum, vnoque verbo, hunc hominem doctum esse indico. Quis autem non intelligit, eiusmodi doctrinae laudem non ex librorum indicibus, neque ex Gallicis Batauisque diariis esse petendam, sed improbo labore diuturnoque studio, quemadmodum maiores nostri fecerunt, comparandam? Sunt illa quidem, si vultis, relaxandis animis delectamenta studiorum, vel ad aestiuorum dierum taedia minuenda, vel etiam ad somnum conciliandum soporifera, vt poeta inquit, papauera: non autem firma doctrinae praesidia, neque nerui artiusque sapientiae, qui philosophum, aut theologum, aut iuris scientem hominem faciant. Et quidem aliud fuit consilium, alia meus Romanorum Pontificum, hominum sapientissimorum, in hoc Romano Gymnasio aedificando, et in tot bonarum artium magistris in eo liberaliter constituendis. Voluerunt scilicet in his amplissimis sapientiae sedibus gradatim solideque iuuentutem erudiri, vt eloquentiae et Philosophiae studiis satis instructa, vel ad medicinam, vel ad iuris scientiam, vel ad sacras literas iter sibi praemuniret: quas deinde grauissimas disciplinas sapienter docta, ciuium saluti consuleret, fori dignitatem sustineret, aut Ecclesiae magistratus cum laude susciperet. Et nos patiemur, memoria nostra iuuenes literis leuiter tinctos, non medicos, sed humani generis carnifices, non iuris peritos, sed fori rabulas, non Ecclesiae lumina, se ignorantiae maculas in publicum exire, et inanem Vrbi, omnium sapientissimae, doctrinae speciem obtrudere? O impudentiam minime ferendam! O vanissimam ingenii iactantiam! Videre iam mihi videor audaciae eiusmodi exitum perridiculum. Componant se perquam eleganter, seque transforment, quantum volunt: illud agent nimirum, quod Aesopus fecisse Cumanum asinum narrat, qui, cum leoninam pellem induisset, quod se leonem videri cupiebat, rudere tamen aspere incepit, vnde et adstantium risus, et domini baculum haud potuit effugere. Non aliter huiusmodi iuuenes, qui propter immaturam scientiae opinionem hoc sibi arrogant, vt pares doctis incedant, dum literati viri personam gerere volunt, se publico risui ac ludibrio hominum exponunt, cum non veram solidamque doctrinam, sed laruas et simulacra sibi inesse, asinina voce satis ostendant. Sunt enim Thersitis illius

illius Homerici similes, qui cum mortalium omnium stultissimus quidem esset, multa tamen eloqui propter vanam sapientiae opinionem solitus erat, vnde magis eius stultitia stolidumque ingenium appareret. Pudeat itaque, pudeat barbatulos istos adeo se proferre, et ignorantiam suam tam insigniter prodere. Pudeat inter philosophos, inter iurisperitos, inter medicos intempestiue enumerari velle, cum earum artium primordia vix summis labris gustauerint. Pudeat denique cum sapientissimis viris de doctrina et ingenio decertare, quorum diligentiam singularem, et omnem prope aetatem in studiis exactam non aemulantur. Multis annis multisque vigiliis nobis opus est, vel ad vnam optimarum artium ex omni parte assequendam, et propter immensam earum amplitudinem, et propter summam earum necessitudinem mutuamque coniunctionem. Ex quibus omnibus id colligo: qui paucis annis, paucisque laboribus sese ad doctrinae laudem peruenisse putant: hi, aut quae sit doctrinae ratio, prorsus ignorant, aut nos amentes et nullius iudicii homines esse iudicant.

IN

SCIOLOS I.

ORATIO V.

HABITA XV. KAL. NOVEMBRIS AN. MDCCXXXV.

NVLLVM bellum fuit vnquam tam atrox, tam diuturnum, aut periculosum, in quo duo hostes maiore vi, aut acriore contentione decertauerint, quam illud, vbi cum optimis disciplinis ignorantia pugnauit. Etenim vix literae exortae sunt, cum statim inuidia, liuor, maledicentia, improbitas, aliaeque nefariae pestes, foedere cum ignorantia firmato, in illas castra mouere, aciem dirigere, cum illis in certamen praeliumque descendere non dubitarunt. Neque ex eo tempore foederis vllius feriundi, nec pacis constituendae spes vlla affulsit. Nam qua ratione fieri possit, vt consilium cum temeritate, fortitudo cum furore, virtus cum audacia conueniat, pacatoque animo concilietur? Profecto quamdiu erunt literae, tamdiu erit literis indictum paratumque ab ignorantia bellum. Ex quo tamen tantum abest, vt quicquam mali sit ipsis literis metuendum, vt potius gloriae cumulus illis quotidie maior accedat. Quot enim cum ignorantia dimicationes, tot victorias; quot praelia, tot triumphos optimae disciplinae consequuntur. At vero aliud belli genus bonarum artium studiis pertimescendum esse video: quod quidem etsi primo aspectu minus periculosum esse videtur, reuera tamen grauissimum est, maximeque

maximeque perniciosum: illud scilicet, quod scioli quidam, homines doctrina leniter aspersi, literis inferunt, dum literas in deliciis sese habere profitentur. Ex istorum enim imperitia fit, vt de dignitate literarum plurimum detrahatur, et ab eorum amentia magis, quam ab ignorantiae telis liberales disciplinae metuere debeant. Haec autem calamitas cum maior in dies fiat, literarum reipublicae maxime interesse video, vt hominum istiusmodi temeritas reprimatur, quo minus in posterum literas ipsas oppugnent. Quare veniam dabitis, PP. amplissimi, si praetermissis hodierno die bonarum artium laudibus, quae quotannis ex hoc ipso loco decantari consueuerunt, illud agam potius, vt huiusmodi homines semidoctos coram vobis sistam, acriter de eorum inscitia et singulari amentia coarguendos. Intelligetis profecto id, quod res est, ex sciolorum istorum vitio plus detrimenti literas capere, quam ex summa imperitissimorum hominum ignauia. Atque vna mecum statuetis, sedulo Romanam iuuentutem esse admonendam, vt ab eiusmodi pernicie sibi caueat, hominum istorum mores et disciplinam fugiat, eorumque scientiam inanem et vmbratilem, ignorantia ipsa longe deteriorem, quantum potest, auersetur. Quo consilio nihil optimis studiis conducibilius, nihil sapientissimis viris, qui me audiunt, iucundius accidere posse confido.

At in ipso dicendi limine quid ignorantiae tela ad optimas artes euertendas valuerint, animaduertere operae pretium est. Non priuatos, non exiguae auctoritatis homines in medium afferam: sed viros principes, summa imperii potestate, auctoritate maxima, furore atque armis metuendos, qui honestissimas disciplinas radicitus extirpare, earumque memoriam sempiterna obliuione delere summa vi contenderunt. Ecce vobis C. Caesar Caligula, homo vecors et stolidus, qui diuina Homeri et Virgilii carmina comburere, aurea T. Liuii scripta funditus perdere, eorumque imagines ex bibliothecis omnibus, vbi asseruabantur, euellere conatus est. En Domitianus Caesar, celeberrimus ille muscarum anceps, qui sapientiae odio, philosophos omnes ex Vrbe eiecit, totaque iussit Italia exulare. En Licinius imperator, literarum sic rudis et imperitus, vt ne decretis quidem manu sua subscribere posset; literis omnibus adeo infestus, vt eas reipublicae pestem et venenum appellaret. Quid tandem isti literarum osores atque hostes infensissimi profecerunt? An de veteri illarum existimatione et gloria putatis quicquam eos vnquam detrahere potuisse? Profecto illud vnum sunt assequuti, vt acerbissimum sibi mortalium odium conflauerint, ac sese omnium aetatum exprobratione, omnium annalium vituperatione dignissimos effecerint. At enim negari non potest, aduersante fortuna, eruditos plurimos inimicorum telis misere occubuisse, diraque fati acerbitate fuisse sublatos. Quot enim exilio et inopia oppressi? Quot ferro miserrime trucidati? Quot denique ad illud calamitatis extremum adacti, vt vltro sibi mortem consciscerent? Extant quidem, extant Pierii Valeriani, Cornelii Tollii et Iosephi Barberii de literatorum infelicitate volumina, quae sexcenta testantur clarissimorum virorum funera, luctuosa quidem et acerbissima. Quid tum? Anne ex tot tantisque literatorum aerumnis imminuta est aliqua ex parte dignitas literarum? An exilium, carcer, secures, aut aliud crudelitatis genus extinguere potuit diuina eorum ingenii lumina, atque aeterna doctrinae monumenta? Viuit, semperque viuet immortalis ipsorum gloria, singularis sapientia et incredibilis virtus.

Quare

Quare iam intelligitis, Auditores, quam parum fit optimis difciplinis ab ignorantia, ab inuidia, ceterisque aduerfae fortunae calamitatibus metuendum.

Contra vero quanta labes, quanta peftis literis ex fciolis et femidoctis hominibus enafcatur, quis dicendo paucis explicare poffit? Ego quidem illud perfuafiffimum habeo, quicquid inuidiae, quicquid turpitudinis, aut maculae in literis ab earum hoftibus confingitur, aut etiam in illis (dicam enim libere, quod fentio) iure reprehenditur, id totum ab fciolis iftis proficifci. Sed placet ante definire, quid fint homines iftiusmodi. Sunt profecto fcioli genus hominum impudentiffimorum, qui contracta fronte et ore duro fe fcire praedicant, quae reuera ignorant; aut in iis, quae fciunt, paucis longe omnium fcientiffimi videri volunt: qui fcilicet in bonis artibus et doctrinis fe triarios, duces et imperatores venditant, cum nihilominus vix inter gregarios milites numerari queant: homines quidem audaces, garruli et gloriofi, qui fcientiae, qua carent, oftentatione conantur inanem doctrinae famam aucupari; et, quod deterrimum eft, viros fapientia et doctrina claros aut contemnunt, aut maledictis et obtrectationibus infeftantur. Fingamus ergo, ex iftis aliquem in grauiffimorum hominum coetum, vel academiam fefe intuliffe. Quanta, Deus immortalis, ingenii oftentandi cupiditas? Quantum omnigenae eruditionis affectandae ftudium? Quanta demum ceteris contradicendi arrogantia? Nullus eft in Graecis, vel in Latinis fcriptoribus, de quo ifte iudicium ferre, ac veluti praetor de tribunali pronunciare non audeat. Ex quibus illum nullo fuiffe ingenio, alium nulla eruditione, hunc Criticae artis expertem effe audaciffime affirmat. Quid enim Ariftoteles? Stulta eius methodus, infulfa illius doctrina, homo denique rerum omnium imperitus praedicatur, quo recentes philofophi plura inter dormiendum intellexerunt. Quid Horatius, aut Virgilius? Nihil in his fublime, nihil excelfum, fed humi reptant puerorum fimiles, qui primo in fcholis verfus facere difcunt. Putatisne, Auditores, me quicquam fingere, aut rem verbis exaggerare? Nequaquam. Exemplo vobis fit Ioannes ille Ciampolus, aetatis fuae fciolorum facile princeps, qui, vt in Pinacotheca virorum illuftrium Ianus Nicius Erythraeus memoriae prodidit, cum die quodam per vrbem rheda veheretur cum Gaudentio Paganino, viro docto et graui, qui tum in hoc ipfo Romano Gymnafio literas Graecas docebat, vna cum aliis eruditis hominibus; cumque forte, vt fieri folet, fermo de Virgilio et Horatio incidiffet, Ciampolus ita acriter coepit in praeftantiffimos illos auctores inuehi, vt eos nullo ingenio homines, nulla doctrina, nullis literis fuiffe diceret; imo quod ad carminis attinet inuentionem, effe puerorum fimiles, qui primo in fcholis verfus componere incipiant. Quod Paganinus cum ferre non poffet, ftomachatus fcioli audaciam immanem atque intolerandam, de rheda ftatim defiluit, auresque fuas diris illis, vt ipfe aiebat, maledictis eripuit. Nec minore fane impudentia fuit fciolus alter, Belmontes Cagnolus, homo ventofiffimus, qui cum Etrufco carmine cecinifset Aquileiae vrbis excidium, clariffimis illis duobus Etrufcae poefis luminibus, Francifco Petrarcha et Torquato Taffo fe longe fuperiorem praedicabat, nomenque fuum inde per totum terrarum orbem fic celebratum effe fibi perfuaferat, vt fi literatus quispiam aduenienti fibi continuo non affurrexiffet, iracundia elatus exclamare foleret: **itane? Abbas Cagnolus,** euerfae

euerfae Aquileiae et tantorum carminum auctor, tuam potuit notitiam effugere? Non est verisimile. Arrogantiam, aut stultitiam potius singularem sciolorum eiusmodi si non superauit, at certe aequauit Basius, Iuris consultus, qui, vt Saldenus auctor est, tantum sibi tribuebat, vt Alciatos, Cuiacios, Hotomanos, aliosque huiusmodi prae se omnes contemneret, atque iactaret, a se vno esse animaduersum, quod multis iam saeculis vniuersos latuerat. Studiosus lector (en gloriosi nihilis oratio) hanc nostram doctrinam diligenter animo infigat, quia etsi trecentos in doctorum scriptis euoluendis palleret annos, nihil simile, ac tam solidum in hac materia est deprehensurus. Audistis sapientiam hominis diuinam et incredibilem? Cum Minerua ipsa, puto, de iustitia et iure sermonem habuit; vnde omnem ceterorum anteactae aetatis scientiam tam longo potuit interuallo superare. Accipite nunc medicinae Deum, siue Aesculapium alterum de caelo delapsum, Theophrastum scilicet Paracelsum, qui se doctrina medicos omnes maximis spatiis anteire putabat, imo sapientem medicum, praeter se vnum, in terris existere neminem: proinde palam affirmare non dubitauit, stultissimum capitis sui pilum plus scire, quam omnes Galeni sectatores; imo barbam suam plus experimentorum habere, quam omnes quotquot essent academiae. O intolerandam hominis arrogantiam! O stultitiam incredibilem! Adeone circulatores isti putant omnes homines vsquequaque desipere, vt nugas suas illis se tanti vendere posse arbitrentur?

Age vero iam aliquem ingenii sui foetum in lucem proferant. Missos faciam librorum titulos, iactantiae plenos et gloriosos, plerumque e Graecis fontibus exquisitos, qui magna et ampla pollicentur, quos olim A. Gellius in quibusdam aetatis suae sciolis risit. Nihil loquar de praeclaris virorum illustrium testimoniis vndique conquisitis, quae operi praefiguntur, quo maior illi dignitas et auctoritas concilietur; perinde ac si eiusmodi elogiis fidem vllam viri sapientes et docti habeant. Verum ex tam magnifico angustoque vestibulo quid tandem intus latere coniicietis? Scilicet stulti ad cribrum. Simia profecto, simia est, etiamsi phaleras, atque aurea insignia gerat, quemadmodum veteri prouerbio dicitur. Etenim quid literis excultum, quid doctrina perfectum ab iis expectes, quorum immatura studia foetus nonnisi informes atque monstrosos parere possint? Recordamini, quaeso, Auditores, delubra illa apud Aegyptios celeberrima, de quibus in dialogis Lucianus meminit. Erant illa quidem e marmore Pario strata cum amplissima porticu, plurimis columnarum ordinibus distincta, aureo laqueari ornata, omnia denique auro gemmisque affabre contexta collucebant, et cum maiestatem, tum religionem habebant. Quid vero tandem in interiore eius templi adyto reconditum fuisse censetis? An Iouis, an Mercurii, an veneris, aut numinis cuiuspiam alius signum? Minime vero. Sed erat canis, aut simiae caluaria, aut muris alicuius ex ossibus compago. Nolo istos sciolorum libros granditate titulorum, atque elogiorum apparatu splendidos cum inanissimis eiusmodi templis comparare. Vos ipsi, an recte conueniant, indicatote. Ceterum nemo vestrum ignorat, quam lepide, et ad rem nostram apposite Horatius in sermone ad Pisones illos irrideat. Parturiunt, inquit, montes, nascetur ridiculus mus. Et quidem solertissimas nugas, vt Seneca loquitur, quae vix somnianti in mentem venerint, comminiscuntur, vt aliquid nouum, et antea non auditum inuenisse videantur.

videantur. Superuacaneum puto rem sole ipso clariorem argumentis longe petitis illustrare. Volumina sane plurima, quorum copia in dies obruimur, hanc ipsam rem satis aperte testari possunt. Quot enim in illis insulsa, quot negligentiae et erroris plena, quot etiam omnino ridicula, quae viris doctis stomachum mouent, continentur? At vero vnum ex hoc genere tacere nullo modo possum. Gaspar Knittelius, literator in Germania festiuissimus, librum edidit, cui titulus, regia via ad omnes artes et scientias, in quo ex primo Aeneidos Virgilianae versu, ille ego qui quondam gracili modulatus auena, qui, vt videtis, septem dictionibus, seu vocibus constat, septem sibi argumenta suppeditari affirmat ad virtutem humilitatis celebrandam. Miramini diuinum hominis ingenium? Quid, si Thraso iste literarius in eodem libro gloriatur, nullum sibi argumentum posse proponi, de quo ipse aptam dicendi materiam capere non possit ex quocunque verbo, ex quacunque voce, aut etiam e qualibet re sibi casu oblata? En quo peruenit sciolorum audacia? Literis tanquam praestigiis abutuntur ad incautos adolescentes decipiendos, quibus nugas et gerras huiusmodi venditant. Et quisquam dubitabit, quin ex circumforanea librorum istorum vanitate infamia literis confletur, et nugatorum eius generis vitio optimae disciplinae corrumpi atque contemni soleant?

Sed vtinam praeter libros stultitiae plenos, saxis quoque ipsis et lapidibus ne haereret literarum macula. Pudet me, pudet nostrorum temporum, quoties ambulanti mihi per Vrbem inscriptiones aliquae marmoribus nostris ciuitatis insculptae in oculos incurrunt: quae si cum iis comparentur, quas olim Panuinius, Marlianus, Gruterus, Fabrettus, aliique plurimi Romanarum antiquitatum studiosi viri, ex ruderibus antiquae Vrbis in volumen congesserunt, leuitatem plane sapiunt puerilem atque infantiam. Ea quippe est sciolorum natura atque consuetudo, vt ad eas res conficiendas se ipsi inferant atque intrudant, suamque operam vltro venditent, in quibus ipsi minus valent, magisque caecutiunt. Quorum impudentia fit, vt posthabita doctissimi cuiusque opera, homines lapicidina digni ea lapidibus inscribant, quae nemo antiquarius intelligat. Ex quo illud sequitur, vt in summa, quae nostrae aetatis est, literarum dignitate et elegantia, in vrbe Roma barbaries Gothica adhuc dominari videatur.

Quod si de scientia aliqua, si de naturali Philosophia, de Medicina, de Geometria, aut de Iurisprudentia ad scribendum aggrediantur: quot, Deus immortalis, absurda, quot deliria, quot canoras nugas, vt ait Horatius, confingunt, vt doctrinae nouitate, et singulari intelligendi acumine veteres sapientiae magistros satis longo interuallo superasse videantur? Peruulgatae quidem sunt nimis quaestiones illae de quarta parte nihili, et de plusquam nihilo, in quibus Demonsius et Bouuellius tantopere desudarunt, et ampla volumina conscripserunt. Extant libri de quadratura circuli, quam quidam aetate quoque nostra somniarunt. Extant de philosophorum conflando lapide innumera paene volumina, quae nobis Croesi diuitias et montes aureos pollicentur, quanquam tot saeculorum experimento constat, artem illam esse sciolorum inuentum, meras fabulas, et inanem mentis delirationem. Extant denique commenta diuinationum, quibus circulatores isti ex ascitis siderum et planetarum influxibus, euentus rerum futurarum se praesagire posse affirmant, et Arithmeticis quibusdam figuris arte constructis, in errorem pertrahunt

pertrahunt homines imperitos et credulos. Quid plura? Typis excusa fuit iampridem Strozzii Cicconiae, Vicentini philosophi et theologi, disceptatio de similitudine et sympathia, quam habent caeli Potestates cum Sole, Principatus cum Venere, Archangeli cum Mercurio, Angeli cum Luna. Poteftne stultius dici, aut excogitari quicquam? Quid, per vestram fidem, beatissimi illi spiritus, quales Archangeli sunt, cum Mercurii sydere, quid Angeli cum Lunari corpore commune habent? Possem profecto per singulas ire disciplinas, quibus isti ineptiarum venditores abutuntur, et iamdudum stultitiam suam mirum in modum celebrarunt. At praestitit id amplissime paucis ante annis in Germania Io. Burchardus Menkenius, homo eruditorum nemini ignotus, qui duabus declamationibus in Lipsiensi academia habitis, infinitam fere semidoctorum istorum multitudinem veluti in scenam quamdam produxit, eorumque de singulis deliramenta disciplinis, digna sane, quae in scena spectentur, luculenter exhibuit. Vtinam aliquando aulaeo sublato, noui ne prodirent in scenam literarum circulatores, eodem theatro dignissimi! Vtinam hanc tantam maculam, et sempiternae turpitudinis notam in Germania tantum, idque semel, praestantissimae artes suscepissent! Sed quantum iam Italiae decus, quanta clarissimae huic Vrbi ex sciolorum frequentia labes infertur, quorum vitio praestantissimae disciplinae veluti in theatrum et per ora vulgi turpissime traducuntur? Nolo rem inuidiae plenam vlterius persequi: nolo quemquam nominare. Quare nemo mihi, vt de se olim M. Tullius affirmabat, irasci poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.

Iam igitur plane perspicitis, Auditores, ab sciolis istis et semidoctis plus detrimenti literis importari, quam ab iis, qui in summa literarum ignoratione versantur. Plus certe periculi metuendum ex hominibus semiebriis, quam si vino somnoque sepulti omnino sensibus destituti iaceant. Detrahat imperitus quispiam literis, quantum volet, easque conuiciis et maledictis petulanter proscindat: quotus quisque erit, qui stolidi hominis clamores non aspernetur, contemnat, negligat? Quis enim caecum audiat de coloribus iudicantem? Enimuero fucata illa semidoctorum literatura, audax et prompta garriendi licentia, honestis etiam viris bene multis imponit, atque id saepe efficit, vt optimae artes inuidiae maleuolorum, et obtrectationibus pessime subiiciantur. Maxime vero, si literarum praemia, si dignitates atque honores ab insulsis eiusmodi nebulonibus, quod aliquando accidit, occupari videantur. Quae cum ita sint, cauete, Adolescentes optimi, (vos enim potissimum spectat haec omnis oratio mea) cauete, inquam, nefarios istos sapientiae proditores, cauete improbos literariae reipublicae hostes, doctrinae euersores, portenta bonarum artium, busta omnium disciplinarum. Si vobis sapientia cordi est, si literas vere amatis, si literarum gloria studioque ducimini, perniciosam istam sciolorum sectam, quantum valetis, pro viribus fugite, eorumque miserrimam et inanissimam literaturam contemnite: habetis in hoc Romano Gymnasio viros sapientissimos, omni disciplinarum genere excultos: hos magistros, hos sapientiae parentes sequiminor. His ducibus expeditum vobis patebit iter ad veram solidamque doctrinam.



IN

IN

SCIOLOS II.

ORATIO VI.

HABITA VII. IDVS NOVEMBRIS
AN. MDCCXXXVI.

QVE.

QVERVNTVR multi, et nos quoque ex hoc amplissimo loco anno superiore conquesti sumus, vehementerque doluimus, cum in Italia, tum in hac ciuitate, ingenti literarum probro, sciolorum sectam in diem magis magisque propagari. Exposuimus enim vobis, quam planissime potuimus, plus detrimenti per huiusmodi sciolos, quam per summam imperitorum hominum ignorantiam, bonis literis importari; neque vllam esse labem grauiorem, aut pestem rei literariae magis metuendam, quam fucatam illam et inanem semidoctorum literaturam, vnde optimae artes inuidiam subeunt incredibilem, et ad ignominiam turpiter traducuntur. Quae omnia vos ore, vultu et admurmuratione ita comprobastis, vt nemo non intelligeret, sciolos eiusmodi nulla ratione comperendinari debere, sed statim a literaria republica procul esse amandandos. At vero cum temporis, quod dicendo praefinitum fuerat, angustiae non permiserint, vt ea in medium afferrem, quae ad infestum illud bonis artibus genus hominum prorsus exterminandum maxime faciunt: sapientes quidam viri auctores mihi fuerunt, vt hodierno die alteram orationis partem, vel aliam potius ex integro de sciolis orationem contexerem, quo nimirum omnes intelligant, ex quonam fonte pestis illa manauerit, et quibus tandem vberibus nutriatur. Etenim ego sic existimo, nostro potissimum vitio in scholis sciolos eiusmodi pullulare, nostris manibus, nostroque sinu eosdem foueri. Quocirca si quid acrius, aut quid liberius dixero de praua studiorum ratione, quae cum sciolis istis maxime coniuncta est, peto a vobis, PP. amplissimi, vt tantum orationi meae hodie concedatis, quantum et veritatis amor, et literarum dignitas postulare videbuntur.

Duo sunt hominum genera, quorum vitio praesertim, quantum ego intelligo, perniciosa ista sciolorum natio alitur, et magis in dies corroboratur. Vnum eorum, qui teneris adolescentium animis immodica laude plausuque blandiuntur: alterum eorum, qui ceteras, praeter eam, quam ipsi profitentur, disciplinas nihili faciunt, ac veteres doctrinae magistros tanquam mediocris, aut nullius ingenii homines parui pendunt ac vituperant. Quocirca quantum illi inepte et imprudenter, tantum hi malitiose et improbe agere videntur, cum illi aetati magnam laudem sapientiae non sustinenti plus aequo tribuant; isti maiorum gloriae detrahere, et, quae ipsi ceterarum artium ornamenta non sunt assecuti, aliis inuidere non erubescant. At vero, vt de iis primum loquar, qui plus laudis, quam par est, adolescentibus tribuunt; si id faciunt, vt plausu illo iuuenes excitati, tanquam generosi equi, studiorum cursum alacrius prosequantur: excusandi sunt quidem, imo et eorum industria valde commendanda: praesertim si cum imbecillis et exsuccis ingeniis agere debeant, ad quorum tarditatem incitandam maxime valet praeceptoris humanitas et industria. Quod si acri mente et peracuta intelligendi vi praediti illi sint, adeo, vt nullo negotio omnia penetrent, minimoque ad discendum labore vtantur: errant profecto, errant, qui eosdem nimium laudando palpant, eorumque omnia sine vllo discrimine et inepte probant. Non opus est laudibus, sed nouis ad laborem calcaribus, et aliquando seueritate vultus et vocis grauitate sunt castigandi, ne molliore industria otioque deprauati torpescant.

torpescant. Saepe enim fit, vt iuuenes partim naturali leuitate ducti, partim praeceptorum plausu inflati, se plurimum scire putent, et, doctrinae mediocritate contenti, vltra progredi minime curent. Quamobrem Carneades, vir sapientissimus, affirmare solebat, diuitum regumque liberos nihil magis, aut tam cito, quam equitandi artem addiscere, propterea quod literarum magistri illis adulari, et, quicquid fecerint, in caelum laudibus extollere soleant. Contra vero equus, qui nihil diuitem a paupere, nihil principem viruni a priuato discernit, quemcunque ex illis aut oscitantem, aut equitandi imperitum sentiat, respectu nullo praecipitem agit, redditque in posterum sollertiorem. Et plane, si vera fateri volumus, ita natura comparati sumus, vt vnusquisque fere philautia, vt Graeci loquuntur, laborare videatur. Ex quo fit, vt plerique sibi multo maiora de suo ingenio tribuant, et gloriolae suauitate titillentur. Imo plures inuenias cum aetate, tum sapientia viros grauissimos, quos neque auri argentique cupiditas, neque aliqua dulcedo voluptatis, neque doloris vis, aut mortis ipsius terror de statu deiicere, aut commouere possit, quam quos laudis amor et vana ingenii sui fiducia non seducat atque peruertat; adeo, vt quantum roboris et virtutis, ceteris animi motibus resistendo, sibi inesse palam fecerunt, tantum imbecillitatis paruique animi, inanis gloriae praestigiis cedendo, demonstrauerint. Atque hinc saepe inter literatos magni nominis de syllaba, aut de dictione vna ortae sunt contentiones acerbissimae ac tragaediae, quod alter alteri ingenio cedere rem turpissimam iudicaret. Quae cum ita sint, cui mirum videatur, quod laudis plaususque amor adolescentes improuidos decipiat, quibus tum aetatis, tum consilii inest maxima imbecillitas, quique in ceteris quoque rebus facile hallucinantur? Profecto laudum suarum dulcedine veluti hamo decepti, se ingenio valere plurimum putant, sibique deesse parum ad doctrinae verticem assequendum: cum praesertim neque in literaria historia versati sint, neque animo complectantur, quam longe lateque disciplinarum amplitudo pateat, quae singulae integram postulant et bene longam hominis aetatem. Proinde illi quasi portum iam teneant, pristinum laborem remittunt, ac de re nulla minus, quam de studiis se sollicitos esse ostendunt. En praeclaram gloriae messem, quam inanes acclamationes et plausus afferunt iuuentuti. Auctor est Plinius, in Africa familias hominum extitisse, qui voce et dictis fascinum circumferebant; qui nimirum, si forte pulchras arbores, si segetes laetiores, aut egregios equos, vel etiam infantes pulcherrimos impensius laudassent, ea statim exitiali fascinatione correpta misere interibant. Et vero hanc ipsam fascini vim laudibus quoque inesse Romani olim suspicabantur. Quod nemo sane ignorauerit, nisi qui nec Virgilium, nec Catullum, nec Ouidium, aliosque poetas vnquam viderit. Hinc enim mos ille inueterauit, vt quidpiam laudaturi, vocem *praefiscine*, vel *praefiscini* adderent: qua solenni formula se quidem non fascinandi, sed laudandi animo ea loqui testarentur. Verum de huiusmodi veterum superstitione iudicet, per me licet, vnusquisque quod volet. Ego vero illud consuetudine vsuque rerum compertum habeo, nobiliora adolescentium ingenia ab immodicis praeceptorum suorum laudibus incredibilem calamitatem tabemque contrahere, neque vllum deinde inueniri ad eam pestem amoliendam in omni eorum vita amuletum. Etenim quid tandem

dem est in omni disciplinarum genere subtilius, aut sublimius, quod illi vana sui opinione pleni, aut non statim, aut paucissimis horis sese addiscere posse arbitrentur? Ego quidem Romae ex sciolis istis vnum, multis praesentibus aetate ac doctrina grauissimis viris, gloriantem audiui: nihil esse magis planum ac pedestre, quam Geometriae studium; se paucis diebus, si vellet, magnum Geometram euasurum. Plaudebant adolescentis incauti dicto nonnulli, quibus Geometriae ne prima quidem elementa cognita; viri autem docti, qui aderant, puerilem eius stultitiam vultus grauitate ac silentio castigarunt. Ex quibus nemo fuit, qui iuuenis impudentiam nimiae eius praeceptoris assentationi plausibusque non tribueret. Quamobrem mirandum non est, quod veteres peritissimi instituendae iuuentutis magistri nihil diligentius curarent, quam vt insitam illi aetati garrulitatem comprimerent. Nemo vestrum ignorat, Pythagoram inter suos recepisse neminem, nisi diuturni silentii tirocinio probatum. Existimabat enim vir sapientissimus, nihil esse prius, quod discipuli docendi forent, quam tacere. Hoc autem non vno, vel altero mense fieri, sed plerumque ad quinque annos illud prorogari consueuisse A. Gellius affirmat. Ea vero seueritatis lege, vt, qui tacerent, audirent quidem interim, quae ab aliis dicebantur, sed nec illis fas esset percunctari, si quid minus intellexissent, neque scribendo excipere, aut differere quae audierant. Vbi vero iam duas res omnium difficillimas didicissent, audire ac tacere tum demum illis verba facere, quaeque audissent, conscribere, aut, quae ipsi opinarentur, in medium afferre licebat. In hac ipsa quoque taciturnitate Lycurgus iuuentutem erudiri mandauit: proinde inter saluberrimas, quibus Lacedaemoniorum rempublicam communiuit, leges, haud postrema fuit, vt ciues statim a pueris silentio coërcerentur. Posteaquam vero adolescentes silentio satis instructi forent, tunc Arithmeticam, Geometriam, Musicam edocebantur, vt, nobilissimis hisce disciplinis praemuniti, ad naturae pulchritudinem contemplandam paratiores accederent. Neque deinde minore studio scientiam morum, iusti et iniusti rationem, differendi artem et eloquentiam addiscebant. Agite nunc, conferte, si vultis nostram cum vetere disciplina institutionem. Illi quidem silentio, longaque meditatione iuuentutis animos in vberrimam doctrinae spem enutriebant: nos garrulitate argutandique exercitatione. Illi numerorum scientia ac Geometricis rationibus puerorum mentes acuere atque excitare solebant: nos et fabellis, et versiculis ad grauiores disciplinas praeparamus. Illi demum longo maturoque studio ingenia exercebant: nos praecipiti festinatione eorum studia intercipimus, et immaturis laudibus plausuque corrumpimus. Et mirabimur, ex huiusmodi scholis tot quotidie sciolos exire, et a sciolis forum, curiam, rostra, subsellia per summum literarum dedecus occupari? Ex illa tam delicata palaestra, ex importunis illis plausibus et acclamationibus quid aliud erat expectandum, nisi iuuentutis arrogantia, intolerabilis animi tumor, miserumque naufragium?

Venio nunc ad illos, quod erat alterum, qui et veterum doctrinae parentum, et disciplinarum fere omnium, praeter eam, quam ipsi profitentur, contemptu, in sciolos augendos non minus operae conferunt, quam qui eos festinatis plausibus fouent. Cum superiore aetate sapientes quidam viri summa cum laude absterserint ea, quae in Aristotelis philosophiam, aut barbarorum vitio

vitio irrepſerant, aut cum recentibus naturae experimentis minime conuenire videbantur, factum eſt, vt quaſi perfractis philoſophiae repagulis, maxima ſeſe effuderit philoſophandi libertas; paucisque annis tot noua prodierint philoſophorum cogitata, vt nouitio cuique profeſſori turpe videatur veſtigia antiquorum premere, exploſisque aliorum ſententiis, noua non meditari. Hoc autem tanto veterum philoſophorum contemptu fit, vt ipſi Philoſophiae parentes et quaſi numina, Plato et Ariſtoteles, quos omnis antiquitas tantopere ſuſpexit, et in caelum laudibus immortalibus extulit, iam tanquam homines natura ſtupidi, bardique per ora iuuenculorum impudentiſſime traducantur. Qua quidem contumelia quid grauius, aut quid iniquius dici, aut excogitari poſſit, non video. Nam quis aequo animo ferat, Philoſophiam in Platonis ſchola natam atque educatam, quae tot aetates in vniuerſis fere totius orbis academiis vna regnauit, quam ſapientiſſimi viri ſummo ſtudio coluerunt, modo a barbatulis iſtis reprehendi, quaſi nihil ſolidi, nihil bonae frugis continentem? Cui ſtomachum id non moueat, imperitos adoleſcentes audere homini tam petulanter obſtrepere, quo M. Tullius neminem doctiorem, et in rebus vel inueniendis, vel iudicandis neminem acriorem fuiſſe affirmauit? Nullus autem non videt, hunc ſciolorum faſtum et ſupercilium a praeceptoribus iſtis originem ducere, qui venerabiles illos ſapientiae proceres parui faciunt, ac ſaepe etiam eosdem voce ſcriptoque vituperant. At dicet aliquis, tu ergo nobis id vitio vertis, quod et Galilaeum, et Carteſium, et Newtonum, aliosque ſummos philoſophos, germanos naturae interpretes, Ariſtoteli praeferamus, cuius philoſophia, propter nimiam profecto obſcuritatem, et quaeſtiones quasdam leues, ab omnibus iam fere deſerta, ſcholis exulauit? Ego equidem in ea ſententia nunquam fui, vt in optimis quibusque diſciplinis aſſequendis aliquo partium ſtudio teneamur. Placuit mihi ſemper illud Ariſtotelis ipſius dictum: amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis ipſa veritas. Etenim ſi in phyſicis, aut metaphyſicis rebus illuſtrandis, ſi in caeleſtium motuum doctrina explicanda, Ariſtoteli ipſi, aliisque eius aetatis philoſophis, Carteſius, Newtonus ceterique huius temporis ſapientes viri perſpicuitate et inuentis praeſtiterunt, auctor ego ſum, vt hos ſequamur, hos complectamur, hosque in ſinu oculisque feramus. Quod autem reprehendendum et nullo modo ferendum eſſe puto, illud profecto eſt, quod antiquorum doctrina, qualiscunque demum ea ſit, cuius quidem fundamentis exaedificatum eſt, quicquid boni ac praeclari recentiores philoſophi nobis tradiderunt, leuitatis et infantiae temere condemnetur. Hoc mihi ſemper cum iniquum, tum indignum viſum eſt de maioribus noſtris iudicium: cum praeſertim de illis perſaepe ita iudicent, qui eorum volumina neque legerint vnquam, neque viderint. Ex huiusmodi autem de veterum ſapientia contemptu oritur ſane iuuenum noſtrorum is tumor et arrogantia, vt prae illis ſe magis ſapere arbitrentur, et ipſi quoque magiſtrorum more iam Carteſium, iam Newtonum, quorum doctrinam vix primoribus labris guſtarunt, in centumuirale iudicium vocare non dubitent. O impudentiam ſingularem! Itane? Vix auditis Dialecticae elementis, vix Phyſicorum limine ſalutato, ſummis philoſophis diem dicere, ac de rebus difficillimis, nec ſatis ſibi cognitis iniquiſſimum iudicium pronunciare? Iudicent potius barbatuli iuuenes de cincinnis, de choreis, de ludis, de

de consulis, aliisque egregiis huius generis studiis: In his profecto cati isti et peracuti ingenium suum, et bonum, vt ipsi vocant, gustum satis probare poterunt.

At vero quid de illis dicam, qui praeter eam, quam ipsi profitentur, disciplinam, nullam aliam non inutilem et otiosam praedicant? Neminem isti virum doctum existimant, si ea doctrina careat, quam ipsi colunt, quamque veluti vnum corpus ex ceteris disciplinis tanquam membris compositum sic putant, vt ab iis, qui vnam illam assecuti fuerint, nihil amplius sit ex omni doctrinae genere exoptandum. Non loquar de iis, qui omnes artes omnesque disciplinas ex vno sacrarum literarum codice proficisci voluerunt. Neminem vestrum latere arbitror, quot pugnas inter eruditos haud multos ab hinc annos excitauerit liber, cui titulus *Pansophia Mosaica*, cuius auctor in ipso diuino codice omnem scientiam, omnemque doctrinam amplissime contineri contendebat. Ego quidem hactenus vidi neminem, qui ex vno diuinorum librorum studio Arithmeticus, aut Geometra, aut Astronomus vel mediocriter euaserit. Nullus autem dubito, quin ad sacrarum literarum studium homines accedere debeant praeclaris huius generis disciplinis bene instructi, si, quae de Arca Noe, de Babelica turri, de Salomonis templo, de annis solaribus et lunaribus Hebraeorum, in sacro codice narrantur, ea penitus intelligere velint. Hinc praeter Origenem, qui, vt Eusebius memoriae prodidit, in Arithmeticis et Geometricis eos mature exercebat, quos sacris literis initiare cupiebat, sapientissimi quoque ac sanctissimi viri, Hieronymus et Augustinus numerorum ac siderum scientiam, ad sacra volumina intelligenda quam maxime necessariam esse, iudicarunt. Atque hinc nuper summo labore et singulari doctrina doctissimorum virorum, du Hamel, Huetii, Lamy, du Pin aliorumque in lucem prodiere praelusiones ac Biblici apparatus, vnde in ipso sacrorum librorum studio duces haberemus ac praecursores. Quare non video, quo pacto ceterae disciplinae ab ipso diuino codice peti possint, si ad absolutam eius intelligentiam accuratior disciplinarum earundem scientia antea requiratur. Docent nos profecto sacrae literae ea omnia, quae ad religionem, ad pietatem moresque Christiano homine dignos pertinent: non philosophum, non mathematicum, non oratorem instituunt; quanquam in illis omnem scientiam et doctrinam inesse, nemo sapiens negauerit. Sed nimis multa de controuersia, quae ad nos minime pertinet. Illud iam quaero, an toto illo humanarum disciplinarum orbe, quem Graeci Encyclopaediam vocant, vlla sit, quae, aliarum omnium quasi domina, ceteras imperio suo ita subiiciat, vt, qui tandem eam possident, cunctarum doctrinarum opibus aucti esse videantur? Meminit quidem Cicero de L. Crasso, qui omne artium et disciplinarum genus vnius cognitione iuris contineri, et quidem vno duodecim Tabularum libello, existimabat. Neque id sane mirari possum, cum quidam ludi magister, aetatis nostrae sciolus, contenderet, scientiam omnem vna Aluari Grammatica comprehendi. At vero hac tempestate homines quidam forenses illud habent sibi persuasissimum, ex vna iuris scientia hominem in omni disciplinarum genere fieri posse perquam doctum et sapientem. Hos ego profecto veterum Sinensium quam simillimos esse dixerim, qui orbem terrae vniuersum imperii sui limitibus esse conclusum, neque extra Sinas gentem vllam vspiam consistere arbitrabantur. Ex quo illud sequitur, vt eiusmodi homines, quicquid

quicquid operae et laboris in aliis, praeter ipsam iuris scientiam, disciplinis comparandis impenditur, inanem temporis iacturam aetatisque dispendium putent. Quod si forte aut aliquod M. Tullii volumen, aut Caesaris commentarios, aut latinum poetam in studiosi alicuius iuuenis manibus videant, de illo pessime iudicant, et in foro nihil illum profecturum esse male ominantur. Putant nimirum, scientiam iuris esse opibus suis satis instructam, nec alienis literarum egere ornamentis: idcirco adolescentes Grammaticae et Dialecticae studiis, quantulumcunque id sit, eruditos, magnos posse facere in iurisprudentia progressus. Stulti igitur Alciati, stulti Duareni, stulti Goueani, stulti Augustini, totque alii in iure clarissimi viri, quibus tamen illi, recte quidem et merito, magistris gloriantur; qui, cum id minus intelligerent, praeter doctrinam iuris, alia quoque disciplinarum studia impensissime coluerunt. At vero M. Tullius, cui summam vniuersi iuris scientiam nemo vnquam sanae mentis negauit, luculenter affirmat: non ex edicto Praetoris, nec ex duodecim Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia iuris artem esse hauriendam. Igitur tantum abest, vt Philosophiam ceterasque disciplinas doctrina iuris in se vna complectatur, vt ipsa potius Philosophia, tanquam foecunda bonarum artium parens, in suo sinu ipsum ius ciuile alere atque educare videatur. Verum asciscant ad iuris studia, quotquot volunt, adolescentes rudes, indoctos, imperitos et bonis literis minime excultos. Nonne vident homines insulsi, hac ratione se rabulis amplum iter ad forum recludere, legumque dignitatem, quam ipsi extollere maxime cupiunt, miserum in modum minuere atque deprimere? Nam nisi ad forum accedant, qui non modo ingenio praediti, sed literis quoque et disciplinis perpoliti, doctrinam iuris eleganti sermonis et eloquentia scienter pertractare queant, quid aliud erit ab huiusmodi hominibus expectandum, praeter gerras et male consutos centones? Neque enim, vt opportune M. Tullius ait, castitatem orationis, et optimas disciplinas homines in foro discere, sed docti in forum venire debent. Quid vero, (te ipsum testem, M. Tulli, appello) quid, inquam, si adolescentes hoc tempore, praeter aliquam iuris notitiam, in forum non afferant, nisi contemptum et ignorantiam literarum? Quo tandem euadet vetus illa Romani fori gloria; quae, te, totque aliis tui similibus, grauissimas caussas perorantibus, vsque ad vltimas terras peruagata est? Enimuero apud hos minimum valeant et Romani fori dignitas, et doctrinae splendor: sed iam quaero ab ipsis: quonam pacto perdifficiles quosdam iuris nodos expedire, et vim legum illarum percipere poterunt, quae ab intima latinae linguae cognitione, quae a ritibus et institutis Pop. Rom. maxime pendent, si literarum rudes, si ieiuni et imperiti ad ipsam iuris scientiam accedant? Et reuera plurimas quidem magnique momenti leges ob eruditionis eiusmodi inopiam a multis magni nominis iureconsultis perperam intellectas fuisse ostendunt Pancirollus, Gentilis, Heineccius, Noodt aliique clarissimi viri, de Romano iure optime meriti. Atque hinc satis apposite Iustinianus Caesar ius Romanum, cum pelago procellis scopulisque infesto, comparauit, quod scilicet nautae peritiam industriamque singularem exquirat. Continet illud plane multa verbis ac sententiis obscura, continet res varias et alicubi etiam sibi aduersantes, quae ingenium promptum, literis exercitatum,

tum etiam eorum temporum rerumque peritissimum postulant. Proinde iaceret adhuc in tenebris, neque in illud gloriae fastigium, in quo nunc est, euasisset iuris scientia, nisi literarum lumen et disciplinarum notitia accessisset, qua illam primo illustrarunt ex Italis Alciatus, Decianus, Menochius, Pancirollus, deinde ex Hispanis Ant. Augustinus, Couarruuias, Coueanus, Pinellus, ex Gallis Budaeus, Cuiacius, Duarenus, Tiraquellus, Contius, Hotomannus, Balduinus, Brissonius, ex Germanis Zasius, Sichardus, Viglius, aliique plurimi, qui non tantum ingenii acumen et par ingenio iudicium, sed elegantiam quoque latinitatis, literarumque Graecarum scientiam ad illud ex omni parte exornandum attulerunt. Quorum volumina summo ingenio exquisitaque doctrina elucubrata, cum omnium oculis pateant, nonne satis nobis argumento sunt, pleniori perfectaeque iuris scientiae elegantiores literas et disciplinas fundos fieri oportere? Et erit quisquam tam audax, atque ore tam duro, qui hoc tempore studiosae iuris iuuentuti bonas literas inutiles esse, imo etiam, si superis placet, perniciosas affirmet? O praeposteram nostrorum temporum ignauiam! O singularem sciolorum impudentiam! Quam bene in ipsos quadrat illud Graecorum, eos nempe auloedos esse, cum fieri non potuerint citharaedi. Cum enim in foro gloriam assequi, et inter iurisconsultos clarere non potuerint, inter rabulas consistere coacti fuut; quaeque ipsi non sunt assecuti literarum ornamenta, a foro curiaque reiiciunt. Sed finem dicendi faciam. Satis iam intellexistis, vnde haec tanta sciolorum propago prorumpat in dies ad omnium labem disciplinarum. Nimirum magnam eorum partem alunt immaturae laudes magistrorum, qui plus nimio adolescentium ingeniis assentantur ac plaudunt. Partem vero nutriunt contemptus veterum sapientiae parentum, ac perniciosae de optimis artibus in studiosam iuuentutem disseminatae opiniones. Quod quidem multiplex literarum malum nisi aliquando tandem exterminetur, actum est de honestissimis disciplinis, actum de sapientia vniuersa.



DE

DE

LAVDIBVS

LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS PARENTALIBVS

ORATIO VII.

HABITA PRIDIE IDVS FEBRVAR. AN. MDCCXXXVIII.



NEMINEM vestrum, P.P. amplissimi, aut eorum, qui adsunt, ignorare arbitror, quae fuerint Leonis X. in omni vitae genere egregiae admirandaeque virtutes. Profecto satis superque omnium gentium literis ac praedicatione commentatur singularis illius sapientia, incredibilis animi fortitudo atque constantia, summa denique pietas et religio: quibus virtutibus tanquam gradibus in ipso aetatis flore ad summum Pontificatus apicem non tam ascendit, quam aduolauit. In ea vero celsissima et caelo proxima sede dignitatis, qua maior in terris dari non potest, quot labores impigre susceperit, quot quantasque res praeclarissime gesserit, siue ad tuendam, siue ad amplificandam Ecclesiae dignitatem, ille vnus fortasse ignorauerit, qui eius memoriae celeberrimae annales neque viderit vnquam, nec fando audierit. Quamobrem ne putetis, me hodierno die temeritate quadam velle in immensum hoc mare ingredi, vt inde nonnisi difficillime euadere atque enatare possit oratio. Deest profecto mihi tanta dicendi vis et eloquentiae copia: deest amplitudini rerum eiusmodi pro dignitate dicendarum opportuni temporis ratio. Praetermissis itaque iis, quae vns saepe alias tum a me, tum ab aliis eloquentissimis viris de Leone X. ex hoc ipso loco audiuistis, id vnum spectabit oratio mea, quod annuam huius diei celebritatem vnice spectare videtur, perrarum scilicet et singulare ipsius Leonis erga literas et literatos studium et voluntatem. Etenim hac vna virtute, ceteris omnibus missis, sapientissimus Pontifex de hac nostra studiorum Vniuersitate, de Pop. Romano ac de omni posterorum memoria sic est optime meritus, vt, licet grata quotannis eius beneficentiae recordatio apud nos renouetur, nunquam tamen satis, nunquam pari cum eius meritis laude possit praedicari.

Multi sane extiterunt in omni memoria principes viri, maximique reges, qui erga homines doctos ac literatos se admodum propensos, tum etiam magnopere liberales praestiterunt, qui tamen imperiti literarum erant, atque omnis doctrinae expertes. Habuit nuper magnum Gallia regem Ludouicum XIV. literatorum quidem omnium amantissimum, et supra quam dici potest, beneficentissimum, qui nihilominus nullis literis ac doctrinis excultus fuisse dicitur. Neque id mirum vobis, PP. amplissimi, videri potest, qui optime nostis, quot labores, quot vigilias, quot denique grauissimas animi curas sibi doctrinarum studia deposcant. Omittendae sunt, dicere solebat M. Tullius, voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium ac sermo paene familiarium omnium deserendus. Cum autem cuncti fere principes in auro et purpura molliter educati sint, mirandum plane non est, si vitae genus asperrimum, quod a studio perpetuo literarum disiungi non potest, auersentur; literatos tamen, tanquam singulare ac prope diuinum genus hominum, amore prosequantur ac foueant: quod nimirum intelligunt, eorum doctrina reipublicae salutem, leges ac iura ciuitatum, bona denique ac fortunas populorum conseruari; imo et nominis sui immortalitatem et decus ad posteritatem et memoriam temporum propagandum, eorum ingenio ac literarum monumentis magna ex parte plerumque niti, optime norunt. Non ita vero Ioannes Medices. Non ille literatos


ratos tantum viros, ſed literas quoque amauit plurimum, matureque coluit. Quanquam enim in ea fuiſſet ampliſſima ac prope regia domo natus, quae ſummo ſplendore atque opibus inter ceteras emineret; nunquam tamen otio ac deliciis molliri potuit, nunquam inanibus puerorum oblectamentis, nunquam equorum, quadrigarum, aliisque, quas noſtri vocant equeſtres, exercitationibus ſe dedit: imo nec feruentioris aetatis cupiditatibus, quae iuuentutem cum a literarum ſtudiis, tum ab omni honeſtate abducere ſolent, vnquam ſe abripi paſſus eſt, ſed recto illo, tametſi difficili ac ſalebroſo, ad virtutem itinere ſibi propoſito, ſe totum ab ineunte aetate literis tradere, nullis niſi literatis hominibus vti, cum iis ſua communicare ſtudia, eorumque iudicium exquirere ſolemne habuit. Recitetur hic Angeli Politiani viri doctiſſimi grauiſſimum teſtimonium, qui ad Innocentium VIII. Pont. Max. de Ioanne ſcribens, haec de illo conceptis verbis teſtatus eſt: ita natus et factus hic eſt, ita altus et educatus, ita denique eruditus atque inſtitutus, vt nemini ſecundus ingenio, nec aequalibus induſtria, nec praeceptoribus literatura, nec ſenibus grauitate conceſſerit. Haec Politianus. Quid autem, per veſtram fidem, non dico de impubere, aut de homine adoleſcente, ſed de viro iam annorum maturitate conſilioque confirmato grauius dici, aut laude magis dignum excogitari vnquam poteſt?

Neque vero Ioannes Medices literis et doctrinis mediocriter informari, ac dicis cauſſa de illis inſtrui, quod nobiles ac primarii adoleſcentes plerique faciunt, contentus fuit. Sed poſtquam ſatis in poeticis, ac rhetoricis ſtudiis profecit, poſtquam tum Graecorum, tum Romanorum diligenter hiſtorias euoluit, poſtquam denique multiplices philoſophorum ſectas, origines, aetates ac dogmata accurate comperta habuit, tum ad Ciuilis et Pontificii iuris ſcientiam addiſcendam Piſas profectus eſt. Verum quonam tempore Ioannem id feciſſe putatis? Non ille ſane priuatus erat, cum id conſilii cepit, ſed cum iam in maxima hominum celebritate poſitus, ab Innoc. VIII. Pont. Max. ampliſſimus R. E. Cardinalis fuerat renunciatus. O ſingularem ſciendi cupiditatem! O rem portenti ſimilem, videre Cardinalem praeclariſſimum, nobilitate, opibus atque aetate florentem, patria chariſſima, ciuibus, ac magnificentiſſima domo relictis, in Piſanam Academiam commigrare, vt in ea iuris interpretes audiret, ſeque eorum diſciplinae erudiendum quaſi rudem diſcipulum daret! Quis hac noſtra tempeſtate, non dico Romanae purpurae ſplendore auctus ornatusque, ſed magiſtratu aliquo vel inferiore in Vrbe cohoneſtatus, exire domo, et ad hanc ſtudiorum Vniuerſitatem doctrinae cauſſa accedere a dignitate ſua non abhorrens et alienum eſſe putaret? Expectant hodie ad multam diem in veſtibulo aedium ciuilis iuris magiſtri nobiles adoleſcentes, dum illi heſternam crapulam edormiant, ac tandem ſomniculoſi et oſcitantes ad iuris lectiones audiendas deſcendant. Pudeat delicatulos iſtos, pudeat, cum audiant Ioannem Medicen, Florentinae principem iuuentutis, clariſſimumque Cardinalem, in Piſana Academia iurisprudentiae operam dantem, nemini ſtudio, labore ac diligentia concedere. Quid itaque miramur, quod ille poſtea Pontifex maximus, aetate etiam tunc florens, renunciatus, totus ad optimas diſciplinas augendas et amplificandas incumberet, qui adhuc adoleſcens ciues ſuos, parentes, vitae commoda ac ipſam fere dicam Romanam Purpuram; doctrinae ſtudiis deuouere non dubitauerit?

At vero, dicet quispiam, alii plurimi fuerunt principes regesque clarissimi, qui ab ineunte aetate sese literis dare, easque ad extremum vsque spiritum in deliciis habere consueuerunt. Alphonsum quidem Hispaniae regem, vt innumeri alii praetermittantur, proditum est memoriae, solitum fuisse dicere: se malle priuatim viuere, quam eruditione carere. Quam vocem superiore saeculo aemulari sane visus est Franciscus Maria, postremus Vrbini dux, cum diceret, se Vrbino potius eiusque ditione, quam literarum studiis abdicaturum. Ego equidem non repugno, neque nescius sum, in omi fere aetate extitisse viros non minus doctrina, quam dignitate praestantes. Illud tameu contendo, ex iis plurimos fuisse, qui multum quidem erga literas, nullum vero erga literatos homines studium nullamque propensionem declarauerint. Siue enim non ea essent a natura liberalitate donati, vt bonas literas, et qui easdem profitebantur, pluris aestimarent, quam pecuniam; siue illi philautia tantopere laborarent, vt ceteros omnes prae se nihili facerent; siue alienae doctrinae gloria nomen suum obrui, sibique de fama ac dignitate ex aliorum ingenio detrahi putarent: illud certum est, limis oculis homines literatos aspexisse, atque illos nullis praemiis, nullis honoribus nulloque beneficio exornasse. Imo, quod incredibile plane videtur, animo a literatis ipsis prorsus alieno atque infesto eos palam fuisse, loquuntur historiae. Profecto narrat Dio, Hadrianum Caesarem studiorum suorum et bonarum artium aemulos, quos aequare non poterat, interfecisse, quippe qui literis, optimis artibus, et disciplinis vnus omnes anteire vellet. Sed, vetustioribus illis et immanitate barbaris exemplis praetermissis, possem hic multa minimeque obscura recentioris aetatis in medium afferre, quae id satis ostendant. Sed cum de principibus viris sermo sit, de quibus aut bene, tanquam de Diis, aut nihil omnino esse loquendum sapientes affirmant, idcirco plura non addam: cum praesertim apud vos dicam, quos tum in vetere, tum in recentiore temporum historia maxime versatos esse non dubito. Huc accedit, quod Leonis X. virtus alienae vituperationis non indiget, quo ceteris altius assurgat, vtque ipse vnus inter omnes emineat. Et sane dubitari non potest, quin ille tantum literatos amauerit, quantum et literas, amore videlicet singulari, summo ac prope incredibili. Pleni sunt eorum temporum annales, plenae sunt historiae, qui effusissimam et quasi immensam erga illos beneficentiam Leonis testantur. Nolo equidem tempore ac patientia vestra abuti, recensendo numerum fere infinitum eorum, quos ille doctrinae caussa beneficiis affecit, praemiis auxit, fortunis opibusque cumulauit. Vnum hoc verissime dicam: quotquot Romae, quotquot in vniuersa Italia, in Germania, in Graecia aliisque prouinciis remotioribus extitere alicuius ingenii poetae, oratores, philosophi, mathematici, aut alius doctrinae cultores, omnes in Leone X. parentem amantissimum ac maecenatem beneficentissimum reperiebant. Tantus proinde factus est ad Vrbem virorum doctissimorum concursus, vt florentissima olim Athenarum vrbs rediuiua Romam commigrasse, aut certe aureum Augusti Caesaris saeculum Leonis tempore reuocatum videretur.

At vero qualis quantaque fuerit munificentissimi Pontificis tum in literas, tum in literatos beneficentia et caritas, non ex iis tantum coniici debet, quae ille breui annorum, quibus vixit, curriculo, liberalissime fecit. Enimuero ad omnem aetatem, omnemque posterorum memoriam longe

ge lateque productam voluit hanc animi ſui erga literas earumque amatores beneficentiſſimam voluntatem. Dubitatisne aliud illi tunc fuiſſe conſilium ac prouidentiſſimam deliberationem, cum hoc Romanum Gymnaſium a fundamentis excitare, in eoque clariſſimos diſciplinarum omnium praeceptores perpetuum ſtabilire conſtituit? Non alia profecto illi fuit mens, non alia voluntas, niſi vt Romae bonarum artium arcem munitiſſimam collocaret, in qua ſempiternam atque tranquillam haberent honeſtiſſimae diſciplinae ſtationem. In hoc nimirum Sapientiae domicilio viros primi ordinis Theologos, eruditiſſimos Iuris vtriusque doctores, Philoſophiae, Geometriae, ac linguarum omnium peritiſſimos magiſtros, publico ciuitatis ſumptu ali perpetuo voluit, vt ipſe nullo vnquam tempore de ingenuis diſciplinis doctisque viris optime mereri deſineret. Proſpexit vtique vir acutiſſimus miſera quidem et luctuoſa aliquando ventura tempora, in quibus literae barbarorum incurſione, aut domeſtica inimicorum conſpiratione ad ſupremum quaſi interitum vergerent. Proinde firmam illis perpetuoque duraturam in vrbe omnium principe ſtabiliuit ſedem, quam duplici Apoſtolica ſanctione ita firmauit, vt eam nulla temporum calamitas, nulla improborum hominum vis, aut ſcelerata coniuratio conuelleret. O Pontificem ſapientiſſimum! O parentem literarum et literatorum omnium amantiſſimum, ſempiterna memoria dignum! Quas tibi ego gratias hodierno die, Leo Pontifex Maxime, Academiae huius vniuerſae nomine agere potero, quae quidem meritis ac virtutibus tuis impares omnino non ſint? Vtinam mihi eſſet tanta vis ingenii ac tanta dicendi facultas, vt rarum, maximum et incredibilem tuum erga literas et literatos amorem viuis eloquentiae coloribus ſi non exprimere, at ſaltem adumbrare potuiſſem! Vtinam magnitudinem beneficiorum tuorum, quibus non modo de tuis temporibus, ſed de omni quoque poſterorum memoria bene mereri voluiſti, data mihi fuiſſet ſatis explicandi copia! Quod vero neque vnius hominis vox, neque exiguum ſemihorae tempus ad dicendum mihi conſtitutum, ſemel ſatis praeſtare poſſunt, id tibi Academia haec noſtra, ad gratam et immortalem nominis tui commendationem, quotannis praeſtat perpetuoque praeſtabit.



DE

OPTIMIS ARTIBVS NOBILI IVVENTVTI NECESSARIIS

ORATIO VIII.

HABITA VII. KAL. DECEMBR. AN. MDCCXL.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

PAVLINVS A S. IOSEPHO

ARDVVM hoc et morosum orationis genus nunquam fortasse suscepissem, BENEDICTE *Pont. Max., nisi sapientia tua singularis mihi animum stimulosque addidisset. Cum enim omnis fere nobilitas hoc tempore bonarum literarum parum cupida esse videatur, quae nihilominus ad illam potissime pertinent, quaeque olim fuere summis regibus in amore atque deliciis: rem inuidiae plenam esse videbam, in nobilissima ciuitate, de iis studiis verba facere, quae tam paruam a nobilitate ipsa gratiam inirent. Postquam vero ad te diuinitus delata fuit rerum cum humanarum, tum diuinarum potestas, tam iniqua optimis disciplinis fortuna, si non omnino immutari, at saltem longe melior fieri visa est. Quis enim anteactae vitae tuae cursum paulo attentius inspexerit, qui non videat, te ab ineunte aetate, et in omni vitae genere, cum summa nobilitate doctrinam, et eximia cum doctrina virtutem mirum in modum coniunxisse? Atque hinc optimae artes in spem venerunt pristinae dignitatis suae recipiendae, vt posthac scilicet non humiles tantum lares incolere, aut in religiosorum hominum septis sese abdere sibi tribuatur, sed in patriciis quoque tectis sedem ac domicilium habere. Nemo quippe ignorat, ad exemplum principis totum, vt ille ait, orbem componi. Hinc ego quoque tam magno prouocatus exemplo, eam dicendi prouinciam sum aggressus, quae non omnibus fortasse temporibus probaretur. Dixi enim de literis et doctrinis nobili iuuentuti maxime necessariis; quae quidem necessitas tum longe maior esse solet, cum princeps literis sapientiaque praeditus, eos supra caeteros ornat atque auget, qui non minus doctrina, quam nobilitate generis commendantur. Dicenti autem mihi non modo ii, qui multa frequentia, et ex*

omni

omni ordine aderant: sapientissimi viri, summa voluntate assenserunt, sed ipsi quoque magnae Gymnasii aulae parietes plaudere et exultare quodammodo videbantur, dum audirent, laudibus te nomenque tuum celebrari. Quid enim tecta ipsa ad eius Pontificis Maximi nomen non exultarent, quem tot annos in eodem amplissimo loco vel iuris candidatis lauream impertientem, vel rectoris munere sapientissime fungentem viderant; et a quo uno, id quod omnium diu maxime erat in votis, se in veterem splendorem restitutum iri confidunt? Haud miraberis itaque, BEATISSIME PATER, *si, quae a sapientia tua oratio vim prope omnem ac decus accepit, immortali quoque nomini tuo inscribatur. Quanquam enim reuera tantae dignitati sit impar, amplitudo tamen loci, in quo habita est, et ipsa argumenti conditio, in se aliquid habere videntur, quod sufficiat quicquid in ea ornatus, aut eloquentiae desideratur. Huc accedit humanitas tua incredibilis, qua oratorem saepe alias in eodem Gymnasio coram te, ac iussu tuo, dicentem complexus es, cui sane nihil antiquius, quam acceptorum beneficiorum memoriam testari sempiternam.*

In maximis bonarum artium commodis, quibus respublica cumulatur, illud mihi singulare videbatur, quod hominibus tenui fortuna et ignobili genere natis, luculentum illae patrimonium fierent, eosque ab obscuro, in quo versabantur, loco in publicam lucem ac dignitatem producerent. Cogitanti enim mihi tum vetera, tum recentiora historiarum monumenta, occurrebat Pythagoras ille inter philosophos celebratissimus, sculptoris tamen filius; occurrebat alterum sapientiae lumen, Socrates, matre obstetrice, patre marmorario in lucem editus. Quid vero Graecorum princeps oratorum Demosthenes, vt innumeros alios praeteream, quem in humili sordidaque fabri officina natum accepimus? Ex superiore autem memoria recordabar et Dominicum Tuscum, et Siluium Antonianum, et Arnaldum Ossatum, amplissimos Cardinales, qui, nulla licet sanguinis claritate, nullis maiorum imaginibus praefulgerent, doctrinae tamen praesidio, et ingenii commendatione ad maximae dignitatis fastigium regali proximum enatissent. Quamobrem singularem Dei Opt. Max prouidentiam satis admirari non poteram, quod de bonis suis ita bene ac sapienter constituisset, vt alii quidem generis splendorem, illustrium maiorum gloriam, opes fortunasque obtinerent, alii vero ingenium et literas, quibus fortunam sibi pariter, dignitatemque compararent. Itaque existimabam, nobiliores adolescentes literarum studiis, quo beate viuant, nullo pacto indigere: sed literas, quasi haereditatem suo sibi iure adeundam, esse pauperibus derelictas, qui ad laborem industriamque nati sunt. At vero contra, quam putaueram, rem se habere, tandem animaduerti. Intellexi enim, optimas disciplinas multo magis iis, qui amplitudine generis ac nobilitate ceteris antecellunt, necessarias esse, quam illis, qui obscuro loco, aut mediocri fortuna nascuntur. Hoc autem si tam perspicuum omnibus foret, quam certum reuera est, nequaquam hodie complures inuenirentur nobili genere iuuenes, qui literarum studia aut omnino negligerent, aut ea remisse et oscitanter excolerent. Quare nihil me facturum putaui auspicandis nobilissimis studiis opportunius, nihil ad amplitudinem huius loci accommodatius, quam si hodierno die, in hac tanta sapientissimorum hominum frequentia, statuerem, vtrum tandem nobilitati prae ceteris ad honestissimas disciplinas incumbere necesse sit. Cui sententiae si auctoritas vestra, iudiciumque, quemad-

quemadmodum spero, accesserit, non vereor, ne, quotquot hic adsunt clarissimi adolescentes, rationem habeant dignitatis suae, atque ipsi praeter ceteros bonarum artium studia diligentissime complectantur.

Verum nemo sit, qui suspicetur, me cuipiam vel infimi generis interclusum velle doctrinae aditum, qui optimo cuique ingenio semper patuit. Iniuriosum quidem in naturam, rerum parentem, foret, sapientiae laudem iis praeripere, quos ipsa celeri ingenio, memoria firma, ac summa discendi facilitate sic donauit, vt eos ad optima studia penitus effinxisse videatur. Illud tamen affirmo, eiusmodi homines nullam generi suo iniuriam, nullam reipublicae contumeliam esse facturos, si, reiectis studiis literarum, alio mentem animumque conuertant. Quis enim eos iure reprehendat, si ad picturam, vel ad statuariam, vel ad sculpturam, vel ad aliam ex iis quas mechanicas vocant, artibus sese dederint, et in ipsis scite excolendis ingenium suum industriamque probauerint? Laudandi profecto sunt, si ingenuas disciplinas amplectantur, atque in illis progressus faciant maximos et admirandos. At minime vituperandi sunt, quod repudiatis huiusmodi studiis, ad quaestuosas potius artes omnem conatum suum ingeniumque adhibeant. Verum non eadem ratio, non eadem plane nobilitatis conditio est. Repugnat omnino, et a nobili viro prorsus abhorret, sese mechanicis et sellulariis artibus immiscere, quibus tenues homines se tuentur, atque sustentant. Quod quidem adeo a veteri memoria, communi gentium consuetudine, institutoque maiorum, receptum fuit, vt Herodotus, historiae parens, affirmet, apud omnes fere nationes eos ignobiles haberi, qui artificia discunt. Porro autem nobiles iuuenes, praeter optimas disciplinas, non habent quicquam praestantius, in quo honestius et cum laude vitam traducere queant. Haec nimirum studia ingenuo ac liberali viro digna sunt. Haec reuera principes viros, vt Plutarchus ait, maximosque reges exornant.

Sed literas, dicet quispiam, esse vera ac pulcherrima nobilitatis ornamenta, nemo vnquam sanae mentis negauit. At vero quae tanta earum necessitas cum nobilitate ipsa intercedit? Magna profecto, si tum priuata, tum publica nobilitatis eiusdem ratio paulo diligentius attenditur. Quis enim adeo rudis, adeo rerum omnium imperitus, vt ignoret, nobilium animos magis, quam ceterorum, in praecipites motus abripi solere, et in effraenatiores cupiditates? Siue enim sit opulentia et luxus paternae domus, siue multa clientum assiduitas et frequentia, multa amicorum procerumque officia, seu denique superbia, quam commune nobilitatis malum Sallustius appellauit; illud certum est, eos saepius, ac grauioribus animi perturbationibus commoueri. Et sane nullum est fretum, nullus euripus, qui tot motus ac tam varias habeat tempestates, quot quantasque habere solent miserrimi eiusmodi iuuenes animorum iactationes atque procellas. Nunc illos videas incredibili laetitia gestientes, nunc moerore plenos et aegritudine paene confectos; iam ira inflammatos et furentes iracundia, iam metu pauidos, vultu animoque suspensos; tum saepissime voluptatibus et insanis amoribus prope perditos. Huc accedit otium, quo nobilitas abundare solet plurimum; et quo vno comite, omne vitiorum genus arcessi, ac virtutem omnem profligari necesse est. Ab otio enim, vt Cato ille Censorius dicere erat solitus, homines, nihil agendo, male agere discunt. Quo quidem eo procliuiores feruntur, quo amplior in illis esse solet impunitatis spes, quae, vt Cicero inquit,

inquit, est magna peccandi illecebra maximumque flagitiorum incitamentum. Quid autem tam aegram et labentem nobilitatis conditionem sanare potest, praeter literas? Literae enim sunt virtutis parentes, vitiorumque expultrices. Hae nimirum corruptos mores emendant, et ad virtutem atque honestatem excitant vehementissime. Hae caecas animi cupiditates, quae furiarum instar hominem agitant, longe fugant atque dispellunt. Assiduus quippe ille studiorum labor mirum quantum ad impetus iuueniles compescendos valeat. Atque animus suauitate doctrinae paulatim delinitus, in placida quasi statione quiescens, tunc plane intelligit, quid aequum, quid iniquum sit, quid vtile, quid honestum, quae pulchritudo virtutis, quae sapientiae dignitas ac praestantia: hinc autem sensim ad virtutem ipsam se totus sapientiamque conformat. Quamobrem fieri videmus, vt, quantum homines literis et doctrina praestant, tantum consilio, grauitate, modestia ceterisque virtutibus praestare soleant.

Quod, si ex philosophorum sententia nobilitatis naturam exquiramus: magis aperte videbimus, quanta eidem nobilitati intercedat cum optimis disciplinis necessitudo atque coniunctio. Quanquam non sit vnum omnium philosophorum de nobilitate iudicium; cum illam alii positam velint in longa maiorum serie, ad posteros vsque cum laude traducta, alii in splendore familiae, fortunis opibusque florentis, alii vero in praeclara auorum, aut parentum gloria, rebus domi forisque gestis illustrium: attamen Plato, qui vnus philosophorum omnium veluti numen habitus est, tanquam ex ara et tripode pronunciauit, nobilitatem omnium longe clarissimam atque germanam tunc haberi, cum quispiam propria animi virtute ac magnitudine excellit; vt proinde is vere nobilis censendus sit, cui non aliena, sed sua ad nobilitatem virtus opitulatur. Atque hinc illud Iuuenalis celebratissimum: nobilitas sola est atque vnica virtus. Quae si vera sunt, illud quidem de nobilibus bene multis dici posse videtur, quod M. Varro Diis quibusdam patribus et Deabus matribus accidisse affirmabat: eos nimirum conuersione temporum rerumque vicissitudine a veteri nobilitate desciuisse, et quasi ignobiles vulgo haberi. Quis enim non intelligit, quam longe a vera nobilitate absint ii, qui, otio inertiaeque dediti, abdomini suo tantum nati esse videntur? Vbi enim in summa rerum ignoratione honestas et decus? Vbi splendor virtutis? Vbi vera animi magnitudo? Vbi denium reliquae virtutes, quibus sublatis, nobilitas ipsa consistere nullo modo potest? Turpe fuit olim in Romana republica patriciis et illustrioribus viris, literarum rudes esse atque imperitos. Peruulgatum satis est Q. Mutii testimonium, a Pomponio sempiternae posteritatis memoriae traditum: qui Sulpicio cuidam negligenter ineptèque de iure disputanti: turpe est, inquit, viro patricio ac nobili, ius ignorare. Neminem praeterea fugit, quot vocibus et clamoribus M. Tullius tum C. Verri, tum L. Pisoni, clarissimo genere viris, exprobraret imperitiam literarum, quasi auitam nobilitatem labe summaque turpitudine affecissent. Hanc vero infamiae maculam nemini de plebe obiectam fuisse legimus, vt plane constet, optimarum artium studia non tam ad priuatos, quam ad patricios et nobiles viros iure quodam suo pertinere.

Sed abeant vetustatis exempla, abeant opiniones philosophorum. Alia sunt modo tempora, alii mores. Age vero, non intercedo. Itaque missam facio nobilitatem illam, quam ex istorum sententia Philosophia magis, quam natura formauit. Atque ad eos tota conuertitur oratio mea, qui hac nostra tempestate, propter

propter amplitudinem generis, atque opes, vulgo nobiles esse censentur. Enimuero nobiles ex isto genere homines, nisi forte velint se ab omni republica penitus abdicare, et in solitudine, belluarum more, versari, literis et doctrina praeter ceteros indigere contendo. Nam cui, per vestram fidem, magistratus, cui praeturae, cui publici honores, nostris quoque temporibus, deferuntur? nonne viris nobilibus atque patriciis? Profecto si ciuilem, aut ecclesiasticam rempublicam spectemus, eos fere consequi videbimus imperia, fasces, purpuram, qui claritate generis et splendore familiae nobilitantur, vt aliquando plus illis virtus prodesse videatur. Praeterea maximo fortunae benficio tribuitur, si homo nouus ac tenui loco natus, virtutis tamen et ingenii fama praeclarus, ad amplitudinem honoris iter sibi tandem patefecerit Inueterauit enim opinio, communi gentium consensione firmata, nobiles viros ad magistratus et honores, non tam promoueri, quam nasci. Proinde Cicero, vt consulatum suum singulari Pop. Rom. beneficio acceptum profiteretur, se, non in cunabulis, vt plerique omnes, sed in campo consulem factum esse affirmauit. Cum igitur ceteris, eminere ceterisque imperare, nobilitatis tam proprium sit, quam prope dicam generari ac nasci: quis non videt, ad ipsam quoque ea omnia iure quidem suo pertinere, quae rectam reipublicae institutionem, rectamque tum se, tum alios regendi rationem continent? Quis autem negauerit, honestissimas disciplinas domi militiaeque et consilii duces esse et imperandi magistras? Possem quidem hoc loco, oratorum more, in immensum campum excurrere; possem multa ex Graecis, multa ex Romanis in medium afferre, ex quibus planum fieret, quantum in nobilissimis eiusmodi studiis momenti sit, tum ad ciuitatem recte instituendam, tum etiam ad bellicam virtutem et imperatoriae laudis gloriam comparandam. Neque enim gentes illae omnium sapientissimae tam impenso studio, tantisque honoribus ingenuas artes extulissent, si easdem nihil ad imperii felicitatem, nihil ad reipublicae tranquillitatem et otium, quibus illae rebus vnice studebant, conducere putauissent. Sed nimis multa dicenda essent, si eo descenderem, vnde oratio exitum facile inuenire non posset

Tria sunt praesertim, quae Aristoteles, in administranda republica, maxime necessaria esse putauit: consulatio de rebus agendis, magistratuum creandorum cura, atque iudicia. Haec autem singula quantam, Deus immortalis, postulant sapientiae vim ac robur? quantam tum publici, tum etiam priuati iuris scientiam? quantam postremo et Politicae et Oeconomicae rei intelligentiam atque doctrinam? Ponite iam vobis ante oculos vnum ex istis aliquem, nobili genere natum, qui non libros, sed calamistrum et cincinnos, non literarum studia, sed ludos et iocos, non academias, sed nocturnos mulierum coetus ab ineunte aetate frequentauerit: qui tamen, fortuna rerum domina, aut errore hominum, vt inquit ille, ad magistratus et honores irrepserit: quod tandem sapiens consilium, aut quae in rebus gerendis prudentia ex tam vacuo et inani capite expectari vnquam possit? Fac grauis interim (vt solet) de re ciuili, aut politica, controuersia aliqua existat: illamne componet homo rudis, qui nulla veteris historiae cognitione, nulla gentium, nulla optimarum legum scientia munitur? Haerebit profecto lapidi, aut trunco similis ridiculum caput: neque enim mutire audebit, cum nesciat (vt in veteri prouerbio est) alba et atra discernere. At enim dat sapere regi, inquit Hesiodus, turba sapientum comes. Non desunt in omni


omni ciuitate docti legum interpretes, non desunt homines iuris vniuersi scientissimi, qui caussis et iudiciis praeesse queant: tum etiam probe calleant, si qua res in consultationem venerit, docte et grauiter de consilii sententia pronunciare. Bene est. Equidem non ignoro, quanti facienda sit hominum forensium doctrina ac virtus: neque de eorum probitate ac fide puto esse aliquid suspicandum. Illud vero affirmo, miseram omnino eorum conditionem videri, qui aliena mente ad imperandum indigeant. Et sane multum interest inter proprium et alienum de publicis rebus iudicium atque sententiam. Aliud quippe est, posse secum prouide deliberare, suumque animum sapienter de communi bono consultare, vt Scipioni Africano morem fuisse accepimus; aliud priuatorum hominum egere consiliis, qui saepe in alterutram partem amore, saepe odio ducuntur. Mente qui prudente pollet, is magistratum gerit, inquit Euripides. Quamobrem si cui alterius scientia, alterius iudicium, vnoque verbo, alterius mens ad gubernationem opus sit: is profecto non rempublicam regere, sed ipse ab aliis regi dicendus est. Praeterquam quod raro fit, vt homines imperiti alieno consilio vtantur, cum ipsi sibi sufficere, ipsi soli sibi sapere videantur.

Verum quae hactenus dicta sunt de nobilitate vniuersa, nemo non videt, ea maxime in nobilissimos iuuenes conuenire, qui rempublicam Ecclesiasticam cogitant. Perspicuum quidem est, tanto maiora ab istis requirenda esse doctrinae praesidia, quanto splendidiora sunt Ecclesiae munera, dignitatesque ampliores. Neque ad eas consequendas valent opes, aut illustrium maiorum virtus, et amplitudo familiae, nisi iis quoque scientia, quasi cumulus nobilitatis, accedat. Quae si forte desit, eam Pontificii iuris interpretes negant quandoque posse nobilitate suppleri. Nolo autem hic, ne longior in dicendo sim, singula studiorum genera recensere, quae Ecclesiastico viro vel digna sunt maxime, vel omnino ipsi necessaria: quorum alia cum ceteris communia sunt, alia vero Ecclesiasticorum hominum sic propria esse censentur, vt, qui illis careant, quasi luce ipsa ac spiritu carere videantur. Praetereo itaque latinitatis et eloquentiae studia, quae, vix dici potest, quantum illis afferre queant dignitatis et ornamenti. Praetereo doctrinam temporum, et omnem tum sacrae, tum profanae antiquitatis eruditionem; qua neglecta, multa de antiquis Ecclesiae ritibus et caeremoniis, multa de ipsis Christianae rei primordiis ignorari necesse est. Praetereo denique Pontificii iurisscientiam, quam homini ad Ecclesiae gubernacula admoto, non tam praeclarum est scire, quam turpe ac periculosum nescire. Vnum tamen, pace vestra, libere dicam, neminem mihi satis eo vitae genere dignum videri, qui Theologiae studia ne extremis quidem digitis attigerit. Turpe igitur erit medico, Hippocratis, aut Galeni volumina, vnde ad nos primum medicina manauit, nunquam vidisse: turpe erit iurisperito neque Pandectas nosse, neque Codicem; Ecclesiastico autem homini turpe non erit ignorare fontes purissimos religionis, et nunquam diuinarum literarum volumina, nunquam sanctorum Patrum monumenta, aut veterum conciliorum sanctiones oculis suis vidisse, quibus, tanquam firmissimis praesidiis, et quasi subsidiariis copiis, germana ac solida Theologia instructa est? Dolet mihi plurimum, per temporis angustias me haud posse diuinae istius scientiae necessitatem longiori oratione prosequi, in ea praesertim clarissima Vrbe, quae Christianae religionis propugnaculum est et caput, vnde sanctiora Catholicae Fidei mysteria, et Pontificiae sedis oracula gentes accipiant. Quid vero de Ecclesiastica historia

historia dicam, quae non Theologiae modo, sed ipsi quoque Pontificio Iuri facem praefert? Persuadere mihi nequeo, sanae mentis aliquem existere, qui inficias ire audeat, eam esse Ecclesiastico cuiquam maxime necessariam. Homines puerorum simillimos M. Tullius eos vocabat, qui, quae olim ante se essent facta, nescirent. Quid vos de homine Ecclesiae addicto existimandum putatis, cui Ecclesiae ipsius annales, et omnis Ecclesiastica historia incognita magis sit, quam Indorum mores, aut res gestae Sinarum?

Sed quid vltra abutor patientia vestra? Iam summa Dei prouidentia tempus illud aduenit, in quo sane dubitare nemo potest, quin tandem Ecclesiastico viro necessaria sint nobilissimarum studia disciplinarum. Diuino enim consilio factum est, vt is nobis daretur Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV, cuius quidem spectata virtus et singularis sapientia, tum etiam immensi probe ab ineunte aetate suscepti studiorum labores, non obscure indicant, quae tandem via, et qualis cursus tenendus sit. Ille enim, quod nemini vestrum latet, maiorum suorum gloriam, et auitae nobilitatis splendorem, non ad otium desidiamque traduxit: sed optimas disciplinas, quibus adolescentiam aluit, perpetuo sibi comites esse voluit, custodes, ac vitae magistras. His ducibus, non gratia aliqua, aut fauore hominum, ad splendida quaeque munera, ad amplissimas dignitates, ad purpuram iter sibi muniuit. Vna cum his tandem ad supremum Ecclesiae fastigium euectus, quanquam in rebus grauissimis occupatus, eas tamen abs se diuelli non patitur: sed, si quid otii sibi concedatur, illud omne in libris studiisque praestantioribus ponit. Hoc autem tanto et tam praeclaro tum ad dignitatem, tum etiam ad necessitatem literarum exemplo proposito, eritne quisquam, qui adhuc dubitet, studiorum rationem ad nobilitatem potissimum pertinere? Quod si, vt fama est, sapientissimus Pontifex, ab ipso sui Pontificatus initio, pro optimis studiis voluntatem suam satis aperte significauit, se nimirum, in magistratibus atque honoribus impertiendis, illos ceteris antelaturum, qui ceteris doctrina sapientiaque praestabunt: cui perspicuum non est, quanti demum intersit, nobilitatis decus bonis literis ac doctrinae laude cumulare? Gratulor itaque vobis, et, quanta possum voce, maxime gratulor, nobilissimi Adolescentes, quod tam felici faustoque tempore studiorum vestrorum curriculum ingenti animo ac magna spe suscepistis. Non irriti profecto cadent labores vestri, non inanes cogitationes. Quae olim virtutis et doctrinae praemia, sola generis commendatione, otium occupauerat, ea iam ingenio, virtuti industriaeque vestrae patere intelligitis. Si nobilitate ornati, si fortunis opibusque estis abunde instructi, bene est; siquidem his accedat scientiae splendor et doctrinae ornamentum. Quid autem vobis deesse tum poterit? an prima reipublicae munera? an opes? an dignitates amplissimae? Profecto vobis hoc tempore, BENEDICTO XIV. Pontifice, non deerunt: qui, cum et literis et omni virtute ornatissimus, atque eius voluntas in literatos homines sit mire propensa, non committet, vt optimus quisque ingenii et laboris praemia desideret. Itaque academiis, quae iniuria temporum diu siluerant, in Vrbe restitutis, tum etiam aliis nouis excogitatis, iam signum aliquod, ad bene de optimis studiis sperandum, sustulisse videtur. Agite ergo, et qua virtute, qua liberalissimis disciplinis illud efficite, vt optimi principis voluntati pari diligentia ac studio respondeatis.

SANCTIS-



SANCTISSIMVM
DOMINVM NOSTRVM
BENEDICTVM XIV.
PONT. OPT. MAX.

ROMANAE SAPIENTIAE GYMNASIVM
PRIMO ADEVNTEM XIV. KAL. IVNIAS
AN. MDCCXLI.


PAVLINVS A S. IOSEPHO
NOMINE PROFESSORVM ALLOQVITVR.

ILLVXIT nobis dies laetitiae et felicitatis plenus, in quo Sanctitas tua ad hanc Sapientiae sedem se contulit: quod tibi et bonis artibus bonum, faustum, felix fortunatumque sit. Ex optatissima quidem tui praesentia nos summo gaudio ac voluptate perfundimur; nobisque magnopere gratulamur, quod Vniuersi Catholici Orbis te moderatorem conspicimus, quem olim habuimus clarissimi huius Gymnasii prouidum ac sapientem rectorem. Complura hic extant et magna (quod nemo non videt) singularis summorum Pontificum erga Romanam Sapien-

tiam liberalitatis et beneficentiae monumenta, quibus Leo X. prae ceteris, Sixtus V., Vrbanus VIII., Alexander VII. aliique de optimis disciplinis bene mereri praeclarum ſibi duxerunt. Haud minora ſane abs te paterni amoris et beneuolentiae argumenta exſpectamus, quem de ſapientia, de doctrina literarumque ſtudio, nemini concedere certo ſcimus. Summis quidem Pontificibus de Pop. Rom. optime meritis a Senatu Populoque Romano ex aere, aut marmore ſtatuas in arce Capitolina ad poſterorum memoriam collocatas fuiſſe videmus. Sed in hac ipſa Sapientiae arce ſtatuas tibi poſitas poſteritas admirabitur, et longe quidem clariore titulo nomini tuo monumenta inſcripta leget, nempe :

BENEDICTO. XIV. PONT. MAX.
ROMANAE. SAPIENTIAE. PARENTI. OPT. MER.
RESTITVTIS AVCTISQVE. BONIS. ARTIBVS.

Ad publica haec vota vnum ſupereſt, Beatiſſime Pater, vt ſaepe et per annos plurimos ad nos feliciter redeas: quo omnes intelligant, te non olim tantum, ſed nunc etiam eſſe perpetuoque futurum ſtudiorum noſtrorum praeſidem et cuſtodem.



DE

DE PROBITATE VIRO LITERATO NECESSARIA

ORATIO IX.

HABITA VII. KAL. DECEMBRIS AN. MDCCXLI.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

SILVIO VALENTI GONZAGA

S. R. E. CARDINALI

PRIMO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI MINISTRO.

PAVLINVS A S. IOSEPHO.

TANTVS est virtutis splendor, tanta sapientiae dignitas, vt, in quibus eius lumen conspicimus, eos et amemus plurimum, et obseruemus quammaxime. Itaque haud miraberis, Eminentissime Princeps, quod te in isto amplitudinis gradu positum, et in tot tantisque negotiis occupatum ego homo tenuis ac vulgaris interpellare ausim. Cum enim mihi contigerit, vt te bis adirem, teque bis alloquerer, statim praeclara quaedam in te sapientiae lumina, quaedam singularis ac reconditae doctrinae lineamenta animaduerti, quae quidem omnes, nisi quis stupidus homo sit, admirari debent magnopere atque suspicere. Tum equidem intellexi, quo pacto tibi magnorum Principum beneuolentiam, cum Pontificium Nuncium apud eos ageres, adeo conciliaueris, vt illi te plurimi facerent, et liberalissime atque honorificentissime tractarent. Hinc pariter nemini permirum esse debet, quamobrem tantam a Clemente XII. Pont. Max. gratiam inieris, vt ille valde te amaret, paucisque annis, quod quidem perraro fit, ad maximam, quam potuit, dignitatem extolleret. Quid vero dicam de BENEDICTO XIV.*, acri iudicio ac sapientia singulari principe, qui, Pontifex Maximus vix renunciatus, protinus te vnum, aetate ista florentem, ex omni grauissimorum Cardinalium senatu administrum sibi selegit, vt vna tecum infinitas prope Pontificii imperii curas partiretur? Quo sane in munere qua dexteritate, quo consilio ac iudicii maturitate, his praecipue temporibus turbulentissimis, te geras, nemo non videt. Enimuero virtutes tuas praeclaras et admirandas recensere, non est huius loci, aut temporis. Illud tamen silentio non praetermittam, quod huc maxime spectat, te scilicet bonas literas impense amare; neque in grauioribus tantum disciplinis, quod plerique faciunt, acquieuisse: sed complurium praeterea linguarum, Latinae praesertim, elegantiam et castitatem probe nosse: tum etiam Geometrica studia et Analyticas subtilitates, quicquid demum solidam eruditionem sapit, in sinu atque oculis ferre. Proinde nec mihi venit in mentem subuereri, ne orationem hanc peramanter benigneque exciperes,*

quae

quae maximam tam literarum, quam literatorum ornamentum promouet, probitatem nimirum et decus. Quid enim literae in homine nequam et improbo, nisi gladius in vesani ac furiosi manu districtus? Tristissima quidem hac de re sexcenta habent Ecclesiae annales exempla, quae nulla vnquam aetas satis lugebit, nulla delebit obliuio. Quare Christianae reipublicae interest plurimum, vt vna cum integris purisque moribus optimarum artium studia conspirent. Quod profecto eueniet, si viri principes eos prae ceteris ament, eos foueant viros literatos, qui ceteris antecellunt non sola ostentatione doctrinae, sed fama quoque probitatis. Itaque prodit in publicum oratio haec mea, amplissimo nomini tuo inscripta; quo et perpetuum extet meae erga te obseruantiae testimonium, et non obscurum tuae erga probos literatosque homines beneuolentiae argumentum.

Non immerito maiores instituerunt, vt, qui oratoris personam pro dignitate sustinere vellet, is non ingenio tantum et dicendi copia valeret, sed vitae quoque integritate ac viri boni fama praestaret. Intelligebant enim viri sapientes, nihil fore priuatis publicisque rebus eloquentia perniciosius, si illa homini nequam, tanquam latroni sica, concedatur. Et vero quod malum, aut quae calamitas hominum generi metuenda non esset, si dicendi facultas, maleficiorum terror et innocentiae praesidium, improbitatis fieret comes et scelerum ministra? Proinde M. Cato, vir prudentissimus, oratorem eum esse censuit, qui vir bonus esset et dicendi peritus; adeo vt prius ille haberet in oratore virum bonum esse, quam eloquentem. At Quinctilianus, quo nemo melius rectam oratoris institutionem expressit, eo vsque in huiusmodi re progressus est, vt oratorem non modo virum bonum esse oportere contendat, sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Cum enim omnis dicendi vis in hoc potissimum posita sit, vt audientium animos flectat, impellat, planeque persuadeat ea, quae bona et honesta sunt, quo pacto id faciat vir malus, qui in virtute atque honestate sibi minime constat? Aliud dicat profecto necesse est, quam sentiat. Prodit autem sese, quamuis sedulo custodiatur, diuturna vitae simulatio: nec erit vlla tanta eloquendi facultas, aut industria, cui non titubet atque haereat vox, si forte ab animo verba dissentiunt; adeoque aut vir probus, aut plane nullus existet orator. Ego vero quanquam semper in hac ipsa summorum virorum sententia fuerim; quanquam eloquentiae, quam rerum humanarum reginam Euripides appellabat, non inuitus hanc tantam laudem tribuam, vt vnus idemque animus, eadem mens eloquentiae sit ac virtutis: illud tamen mihi satis persuadere nequeo, eam vitae integritatem ac boni viri famam ita vnius eloquentiae esse propriam, vt ad ceteras quoque honestissimas disciplinas non traducatur, eodemque iure ad singulas pertinere non debeat. Quasi vero minus oporteat virum probum existere, qui philosophus, aut qui medicus, aut qui theologi personam sustinet. Profecto aut ego nihil intelligo, aut omnes, quotquot sunt optimae artes, non minus quam eloquentia, arctissimam habent cum virtute necessitudinem; nec potest quispiam eas satis honeste colere, aut in illis quicquam proficere, nisi ad ingenii elegantiam et doctrinae copiam accedat quoque praeclara vitae commendatio. Quare omnino sic statuo, integritatem morum non ad vnam eloquentiam, sed ad omnes singulasque disciplinas cum vtilitate ac dignitate profitendas,

fitendas, esse maxime necessariam. Quo quidem argumento vix aliud quicquam ad bonarum artium laudem magnificentius fingi, aut excogitari posse existimo. Quid enim praestantius de liberalibus studiis dici possit, quam ea esse per se arctissimis vinculis cum virtute coniuncta? Atque hinc etiam optimi adolescentes, quorum potissimum caussa hodierno die haec oratio instituitur, facile intelligent, frustra se in literarum studiis dies noctesque consumere, nisi pari voluntate eodemque studio et ingeniis excolendis, et moribus ad virtutem conformandis operam dederint.

Sed erit fortasse statim, qui complures in omni disciplinarum genere viros celebratissimos nobis obiiciat, qui tamen nulla probitatis laude commendantur. Quot enim siue poetas, siue oratores primo Graecia, deinde Roma admirata est atque suspexit, quos tamen propter ebrietatem, aut libidinem, aut auaritiam pessime audiuisse, memoriae proditum est? Profecto neque Demosthenem, neque M. Tullium, homines integerrimos fuisse, iure quis affirmauerit, cum ille auri cupiditate, hic nimio gloriae studio, et insano quodam maledicendi furore conflagrauerit. Nemo tamen oratorem summum, maximumque ingenii quasi portentum, vtrumque extitisse negauerit. Quemadmodum enim Demosthenes cum esset dicturus, e tota Graecia ad eum audiendum concursus fieri solebat, vt Plutarchus testatus est: ita Cicero tantum dicendo valuit, vt plures eum eloquentia victorias, quam Romanos armis, consequutum fuisse, Caesar afferet. Haeret hic animus, non est quod dissimulem. At vero non desunt viri clarissimi, qui in eiusmodi vitiis tum Demosthenem, tum M. Tullium excusent; vt plura in eos ab inimicis conficta crimina, quam illi renera admiserint, arbitrentur. Ego tamen libere dicam, quod sentio. Fuere in illis, negari non potest, vitia nonnulla: at virtutes quoque plurimae ac maximae, quae magno sui splendore fecerunt, vt vitia illa ex oculis hominum quasi euanescerent. Quanta enim fuit animi fortitudo atque constantia, qua alter saepe Philippi, potentissimi regis, conatus elusit, alter tum Catilinae coniurationi, tum Clodiano furori sese opposuit? Quantus in vtroque patriae libertatis amor? Quantum in liberis, focis, aris, fortunisque ciuium suorum defendendis studium, quo illi ad supremum vsque spiritum inflammati fuerunt atque incensi? Itaque mirandum non est, quod aliquot vitiorum nubeculas tam eximiae splendidaeque virtutes luce sua obruerint, ac paene deleuerint. Enimuero si quis nihilominus celeberrimum vtrumque oratorem virum probum fuisse pernegauerit, non repugnabo. Fuerit quidem vterque vir malus: quid tum? Nonne miserrimus eorum finis, quo vterque viuere desiit, satis superque ostendit, eloquentiam in homine malo diu valere, diuque non posse consistere? Misere vterque periit: vterque dit contaminatae eloquentiae grauissimas poenas. Illud sane est memoria dignum, quod C. Plinius iunior ad Corelliam Hispullam, foeminam primariam, viro suo orbatam, scribit de eloquentiae magistro adolescentulo eius filio perquirendo. Etenim cum illi Iulium quendam Genitorem, hominem non minus integritate vitae et morum grauitate, quam dicendi facultate praeclarum praetulisset: huic, inquit, eum trade, Diis iuuantibus, praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur! O dictum sapientiae plenum! O vocem vel Christiano homine dignam! Audierat nempe Plinius a Quinctiliano magistro id, quod antea diximus, non posse orato-

rem

rem exiſtere, niſi virum bonum; audierat maxime referre in puero, vt is a praeceptore probitatem mature doceatur, ſine qua vel nulla datur eloquentia, vel, ſi qua forte datur, fit ipſi homini eloquenti, tum aliis quoque, pernicies ſumma atque calamitas. Quid vero dicam de tot non modo vetuſtiorum temporum, ſed recentioris quoque aetatis clariſſimis poetis, qui, quod ingenii elegantiam viuendi turpitudine, aut loquendi licentia dehoneſtarent, partim exilio, partim diuturno carcere, partim etiam capite debitas ſceleris ſui poenas perſoluerunt? Teſtes ſunt Euripides, Naſones, Marini, Murtulae, Boccalini, aliique ſexcenti, de quorum calamitate ac triſtiſſimo vitae exitu annales loquuntur.

Quod ſi, poetis et oratoribus praetermiſſis, ad philoſophos conuertamur, quaenam, Deus immortalis, exiſtit in tota rerum vuiuerſitate hominum natio, cui magis quam philoſophis, a vitiis abeſſe procul, et virtutem in ſinu atque oculis ferre, conſentaneum ſit? Vna ſemper fuit ſapientum vox, Philoſophiam eſſe honeſtatis, continentiae, fidei, iuſtitiae ceterarumque virtutum parentem et magiſtram. Illam proinde M. Tullius humanae vitae ducem, virtutis indagatricem et expultricem vitiorum appellat; illam Plato donum et inuentum Deorum immortalium, quo homini maius, aut melius datum non fuerit. Quanquam enim a primis vsque temporibus indagandae veritatis ſtudium philoſophos ipſos in ſectas paene infinitas propagauerit, adeo vt M. Varro aetate ſua ad ducentas ſupra octoginta numeraret: omnes tamen ſiue Stoici, ſiue Academici, ſiue Peripatetici, aut alio quouis nomine philoſophi, mirifice conſenſerunt in iis, quae in honeſtate vitae morumque diſciplina verſantur. Vna omnium fuit mens ſtabilisque ſententia, prauas animi cupiditates coërcendas eſſe, ac virtutem rebus omnibus anteferendam. Itaque Plato pulcherrimae illius reipublicae, quam ipſe optimis legibus et inſtitutis ad formam ceterarum ſic effinxit, vt omnia in illa ad bene beateque viuendum conſpirarent, non aliis magiſtratus et imperia deſtinauit, quam philoſophis: quod hi nimirum, vt ipſe ait, homines ſint temperati, fortes, iuſti, magnanimi omnique virtutum genere inſtructi. Atque hinc illud ſapientiſſimi eiusdem philoſophi apud omnes peruagatiſſimum, tum demum beatas fore ciuitates, cum aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur.

At, dicet quiſpiam, cur ergo philoſophi e ciuitatibus fuere ſaepius eiecti? Vnde tot abſurdae diſtortaeque opiniones, vt, teſte Varrone, nemo aegrotus quicquam tam infandum ſomniet, quod non dixerit aliquis philoſophorum? Ita ſane ſit. Enimuero ſi qui ſunt, aut olim fuerunt philoſophi, qui indignas homine voluptates, vt de Epicureis fama eſt, commendauerint; vel qui vtile ab honeſto ſeiunxerint; vel qui, Deorum immortalium ſublato metu, in omne ſcelus iter patefecerint: hos ego vere philoſophos fuiſſe pernego, ſed Philoſophiae probrum et ſapientiae hoſtes improbiſſimos magna voce pronuncio. Spurios quidem et adulterinos philoſophos vocabat Socrates homines eiusmodi, qui non ſapientiam, cuius ſe falſo amatores praedicant, ſed temeritatem, non doctrinam, ſed errorem peſſime conſectantur. In hunc profecto gregem coniiciendi ſunt Pomponatius, Abailardus, Caeſalpinus, Cremoninus, aliique complures, qui, vita moribusque corrupti, abſurda quaedam et improba de immortalitate animorum, ac de ſanctiſſima noſtra religione ſomniarunt, quique, praeter inaniſſimum Philoſophiae

homen, nihil solidum, nihil Philosophia dignum posteritati reliquerunt.

Iam vero alio me vocant praestantissimae disciplinae, Iurisprudentia et Medicina, duo scilicet Romani huius Gymnasii clarissima lumina. Quis autem statim non videt, quam innocenter integreque viuere debeant ii, qui alterutrius nobilissimae facultatis studium operamque suscipiunt? At nemo certe, nisi amens sit et omni ratione destitutus, fortunas, aut incolumitatem suam commissam velit homini, non dico nequam, sed de cuius probitate ac fide vel minimum suspicari quis possit. Actum esset de republica, si huius generis disciplinae, quibus et opes, et communis salus continentur, perditorum hominum licentiae ac libidini traderentur. Et reuera quo pacto sanctissimarum legum maiestatem, quae virtuti praemia, flagitiis supplicia decernunt, tueri queat vir malus, scelerum suorum conscientia plane conuictus? Qua fronte in aliis peccata reprehendet, in quibus ipse conscius et socius habetur? An promissa, pacta, conuenta nobis seruanda esse suadebit is, cui humana et diuina iura peruertere iocus sit? Sed esto: perfrictae frontis homini id concedatur. Iurisprudentiam cum multis in rebus, tum in consultatione consiliisque dandis, plurimum valere certum est. Nemo enim temere, nulloque aduocato consilio, tecta, penates, liberos ac dignitatem suam foro iudiciorumque tempestati committit. Quis autem ignorat, quantum in consiliis vim habeat spectata virtus, fidei et religionis opinio? Omnes scilicet virtute, aut virtutis specie et opinione ducimur. Nulla vero in consilio inest vis atque auctoritas, vbi de consiliarii integritate ac virtute dubitari vllo modo possit. Quare Solon, vir sapientissimus, admonebat, vt non tam iuriiurando quam probitati fides haberetur. In foro autem quis non videt, quantum valeant, praeter ingenium et doctrinam, splendor nominis, existimatio hominum et vitae praeclare actae dignitas? Contra vero saepe fit, vt nulla fides, etiam vera dicenti habeatur; et talis aduocatus videatur esse malae caussae argumentum. Hinc Asinius Pollio, qui pro Vrbiniae heredibus in forum venerat, statim ac Labienum, aduersariorum patronum, aspexit, eam caussam malam esse exclamauit, quod a Labieno defenderetur. Itaque non immerito Quinctilianus oratori, quem ad forum et iudicia exercenda instituebat, Philosophiam moralem apprime necessariam esse asseuerat; neque posse aliquem sine accurata morum disciplina fieri bonum vtilemque caussarum defensorem.

De Medicina vero quid loquar? Satis est, Hippocratis libros vel leuiter percurrisse, vt quis intelligat, quam saepe et grauiter vir sapientissimus Medicinam professuris inculcauerit religionem Deorum immortalium, honestatem vitae morumque integritatem. Nam praeter memorabilem illam de purgatione morali lucubrationem, in qua ipse non tam medici, quam philosophi moralis, et viri sapientis munus sustinens, a medico prauos mores, auaritiae labem, et effraenatas animi cupiditates exulare iubet; quocirca neque Socrati, neque Platoni de sapientia quicquam concedere videtur: cui maximam admirationem non moueant ea, quae in lib. de iureiurando memoriae tradidit? Mirum, quantum in eo pietatem et reuerentiam erga Deos commendet Medicinae cultoribus, quibus mandat, vt, nisi diuino numine inuocato, in aegros curandos non ingrediantur. Quod quidem institutum vtinam aetate quoque nostra teneretur: fortasse ipsi Medicinae magistri in tantis difficillimae artis

tenebris nunc minus offenderent. Quoties autem vir magnus conditionem eorum, qui sese ad studium tam arduae scientiae datnri sunt, diligenter expendit: toties monet, vna cum scientia praeclaros mores esse coniungendos. Habeant, inquit, doctrinam, bonos et generosos mores. Intelligebat enim vir prudentissimus, medicae facultatis, per quam homines publicae salutis praesides constituti ad Deos prope ipsos accedere videntur, dignitatem omnem esse interituram, nisi ad illam vtendam homines probi ac bene morati admouerentur. Intelligebat, medici improbitatem nemini non fore periculosam, et magis, quam morbum, infestam ac metuendam. Verum quid vos diutius in re minime obscura detineo? Quasi vero, vt antea dixi, homines tam amentes, aut oscitantes dari possint, vt, cum eorum agitur salus, ad alium, quam ad probum et praeclari nominis virum re ipsa confugiant.

Quid autem statuendum esse putatis de iis, qui non humanae alicui facultati, sed omnium integerrimae ac diuinae, Theologiae nomen dederunt? Eritne quisquam, qui dubitet, singularem animi probitatem ad virum theologum pertinere? Ego equidem sic existimo, neminem dici posse theologum, cuius vitae ratio theologo plane digna non sit. Profecto ipsum Theologiae nomen adeo per se sacrum et diuinum est, vt quicquid, non dicam improbum et flagitiosum, sed humanae imbecillitati affine est, ab huius scientiae cultoribus abhorrere prorsus videatur. Irridebat Cicero Epicurum, quod is temperantiam quidem laudaret, interim vero in voluptate, quae temperantiae inimica est, summum bonum collocaret. Quid si forte fieret, vt, qui serio perpetuoque agunt de Deo immortali, de virtutibus Christiano homine dignis, de felicitate sempiterna beatorum, et, si vis etiam, de poenis impiorum apud inferos praeparatis, de quibus omnibus persuasissimum nobis esse volunt, ipsi autem longe alias viuendi rationes sequerentur? Anne minus huiusmodi homines essent irridendi? Mores integri et incorrupti, Aristoteles inquit, fidem praecipuam faciunt: Qui aliter viuunt ac docent, hi profecto eorum similes esse videntur, qui agunt in scena, quique statim ac a scena ipsa recesserunt, nihil eorum curant, quae paulo ante summa voluntate curare videbantur. Ex istorum fortasse licentia permanauit in vulgus eum religionem amittere, qui amicitias colit theologorum. O vox improba ac nefaria, quae crimen paucorum in vniuersum theologorum sanctissimum coetum detorquet! Quot enim sunt ante oculos nostros in hac ciuitate clarissimi viri, qui non minus pietate et religione, quam theologicis studiis excellunt, quique integerrimae vitae ratione calumniam huiusmodi diluunt prorsus atque refutant? Enimuero ex hac ipsa vulgi opinione, qualiscunque demum ea sit, illud manifesto consequitur, rem absurdam et incredibilem videri, aliquem posse sine splendore virtutis theologum existere, quod nimirum theologia et religio, religio et virtus, vno eodemque spiritu viuere videantur.

At vero quanti demum intersit ad omnes generatim disciplinas innocentia morum et virtus, ex iis, quae breuissime dicam, facile dignoscetis. Nemo in literis tam hospes, aut tam parum exercitatus est, qui illud ignoret, ad praeclarum aliquem in bonis literis progressum faciendum, praeter ingenii acumen et intelligendi solertiam, maxime requiri sedati placidique animi tranquillitatem. Experientia quippe docemur, si qua alia in re, tum praecipue in literarum studiis, id quod

Cicero longo rerum vſu praeditus dicere ſolebat: turbatum animum non eſſe aptum ad exequendum munus ſuum. Quae autem maior, aut quae optimis ſtudiis magis inimica animi perturbatio, quam quae a vitiis, prauisque cupiditatibus ortum habet? Obruunt prorſus omnem ingenii vim eiusmodi motus; et alacritas illa mentis, quam literarum ſtudia depoſcunt, in ea animi iactatione languet ac deficit. Atque hinc quemadmodum, qui infirma ſunt oculorum acie, lucem ſolis intueri ſine moleſtia haud poſſunt: ita, qui aegro animo ſunt, ab ſtudiis prope abhorrent, et literarum genus omne faſtidiunt atque auerſantur. Huc accedit, quod iſtiusmodi homines a literatorum virorum ſocietate, atque ab omni cum illis amicitiae vſu prohibeantur. Amant quidem homines eruditi familiaritatem et iucundiſſimos amicorum congreſſus. Illa enim ſiue ingeniorum, ſiue ſtudiorum ſimilitudo facit, vt ſeſe mutuo videre et alloqui gaudeant; ibi multa de optimis diſciplinis, multa de rebus domi foriſque praeclare geſtis inter ſe loqui ſolent; atque ita moleſtiſſimas diei horas ſuauitate ſermonis placidoque otio traducunt. Quis autem in hoc tali virorum coetu diu ferat hominem, liberalibus quidem ſtudiis excultum, ſed moroſum, ſed iracundum, aut maledicum, qui ad omnia prope iraſcatur, qui de republica, de principe, ac de religione quoque ipſa liberius imprudenterque eloquatur? Amicitia profecto a natura data eſt, non vitiorum illecebra et incitamentum (vt apud Ciceronem Laelius contendebat): ſed comes et adiutrix virtutum; eique maximum ornamentum tollit, qui ex ea tollit id quod rectum et honeſtum. Idcirco ſapientes, niſi in bonis et honeſtis viris, amicitiam dari poſſe pernegarunt. Ego olim memini quoſdam in hac Vrbe literatos, homines reuera non mediocriter doctos, quorum tamen conſuetudinem familiaritatemque plerique fugere et auerſari ſolebant, non aliam ſane ob cauſſam, quam quod omnis literarum respublica eorum ſupercilio niti videretur. Amabant omnes, quantum ego intelligebam, multiplicem eorum doctrinam rerumque maximarum, quibus illi inſtructi erant, ſcientiam: ſed nemo aequo animo ferre poterat ipſorum vanitatem et arrogantiam, quod nimirum ſe ſolos doctrinae principes facerent, quod parem ſibi neminem vellent, quod omnia denique ad libidinem ſuam vituperarent. Itaque viri prudentes ſatius eſſe putabant, milites illos Plautinos fugere, quam pati proiectam eorum audaciam atque ſuperbiam; quae plerumque cauſſa eſt, cur tot clari literatura viri omnibus deſpectui ſint, et nullum eorum ingenia praemium, nullam dignitatem conſequantur. Conqueruntur ſaepe multi de infelicitate literatorum, et quotidiano fere ſermone percrebuit, iam prope conclamatum eſſe de literis; neminem hoc tempore, in Italia praeſertim, exiſtere, qui, vt olim, gratia, auctoritate, tum etiam opibus, literarum ſtudia foueat atque amplificet; principes quidem alias bonarum artium cupidos ſtudiorumque fautores, iam longe aliud moliri, et minime omnium de optimis diſciplinis cogitare; adeoque cum Maecenates deſint, mirum non eſſe, cur non dentur, vt poeta ait, Marones. Ego equidem nolo publicae huiusmodi querelae me opponere; nolo tam peruagatae opinioni repugnare: illud tamen dico, ſaepe literatorum vitio fieri, vt nullum habeant literae patrocinium. Quis enim domi alere, aut fortunis opibusque augere velit homines, certe quidem ingenio et eruditione praeſtantes, ſed turbidos et ingratos, (in quo ſane vitio nihil

mali non ineſt) tum etiam ad diſſidia et rixas prope factos, qui dicacitate, aut ſcribendi licentia nemini parcant? In domum recepit ſplendide ſatis ac liberaliter ſuperiore memoria Carolus Emanuel, Sabaudiae dux, Io. Baptiſtam Marinum, poetam eius temporis celeberrimum, quem praeter alia beneficia, quibus illum large cumulauit, ſanctorum quoque Mauritii et Lazari militari ornatu decorauit. Quid poſtea? Homo aeque imprudens ac beneficiorum omnium immemor, libellis quibusdam editis, tum aliis cauſſis, ita optimi ac beneficentiſſimi principis animum offendit, vt, niſi mite illius ingenium et a caede hominum abhorrens obſtitiſſet, Marinus temeritatis ſuae poenas capite perſoluiſſet. Quid vero de Ioanne Ciampolo loquar? qui propter elegantiam ingenii et ſingularem eruditionem cum apud Vrbanum VIII. Pont. Max. ſummo loco et gratia floreret, homo ſuperbus et inflatus, nimia loquendi libertate carpendique vitio id effecit, vt a liberaliſſimo Pontifice tum ab aula, tum etiam ab Vrbe, ſpecie quadam honoris, dimoueretur: quem deinde, vt ſe reuocaret, neque ſuis, neque amicorum precibus exorare vnquam potuit. Dies me citius, quam oratio deficiat, ſi plura id genus enumerare velim, quae apud Ioannem Pierium Valerianum, Cornelium Tollium atque alios extant de infelicitate literatorum argumenta ſane luculentiſſima, quibus liquido appareat, ingenium et doctrinam ſine probitate peſtem hominibus calamitatemque importare. Non ergo errori hominum, aut fortunae temeritati tribuendum, quod perſaepe videamus, viris perexiguo ingenio et mediocri doctrina ornatis dignitates et honores ampliſſimos deferri: contra vero alios in obliuione iacere, qui, quod acriori eſſent iudicio, et ſcientia ampliori abundarent, iam eſſe in vado, et in portu nauigare videbantur. Plus illorum profecto valuit doctrinae mediocritas, ab integris puriſque moribus commendata, quam ſtulta et inanis iſtorum ſapientia, qui ſibi minus, quam aliis ſapere didicerunt. Neque enim viri principes putant, reipublicae multum intereſſe eloquentiam, ſcientiam iuris aliasque liberales diſciplinas, niſi his quoque grauitas et honeſtas morum, vitaeque magiſtra prudentia accedant. Itaque M. Tullius, vir ſingulari conſilio ſapientiaque inſtructus, Marcum filium grauiter admonuit, vt viri boni nomen prae ceteris rebus tueretur, atque illud commodis et fortunis omnibus anteferret. Non eſt, inquit, vlla res tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni et ſplendorem et nomen amittas. O praeclaram et admirandam hominis ſapientiſſimi vocem! O diuinum et ſalutare optimi parentis monitum! Non opes et fortunas, non faſces et imperia comparanda filio proponit: ſed viri boni et honeſti nomen. Vtinam noſtra quoque aetate parentes in liberos ſuos, egregia indole et ingenio ornatos, tam ſapientes animi ſenſus infunderent! Vtinam illos patria charitate monerent, vt honeſtatem et famam in oculis perpetuo ferant, nulla cum re commutandam: qua ſemel amiſſa, tum de ingenio, tum de omni doctrinae ſpe, actum eſſe intelligant. Quod ſi forte parentes caeco amore ducti liberos ſuos, non tam ad virtutem et honeſtatem, quam ad opes et magiſtratus aſſequendos cohortantur: ad vos illud ſpectat, clariſſimi bonarum artium magiſtri, qui parentum ipſorum vices auctoritatemque ſuſcepiſtis. Vos, inquam, adoleſcentes ipſos, auditores veſtros, pro dignitate veſtra ac ſapientia ſaepe commonere debetis: doctrinam ſine virtute exitium fieri atque infortunium; fruſtra ſe

Romae ab optimis studiis opes et honores quaerere, frustra principum virorum exspectare beneuolentiam et gratiam, nisi praeclara vitae ratio scientiae ingenioque praeluceat; Non esse Romae, quod quidam improbi dictitant, omnia exposita; et pecuniae magnitudine, aut potentis alicuius gratia, ad omnia aditum patefieri. Fuerint haec vitia temporum praeteritorum. Nostra quidem, tum superior aetas, eos vidit sanctissimos principes, qui non minus innocentiam vitae, quam doctrinae praestantiam ante oculos habuerunt. Horum nemini profecto concedit BENEDICTUS XIV. optimus ac sapientissimus Pontifex, qui cum in omni vitae genere praeclarissimarum rerum scientiam cum maxima vitae honestate ac singulari virtute coninxerit, non est dubitandum, quin hominum commendationem cum ab ingenio, tum a virtute ducat; atque eos, prae ceteris maximis praemiis, honoribus ac beneficiis sit ornaturus, qui, ipsius non dissimiles, et doctrina et probitate praestabunt. Tam magnum et praeclarum summae auctoritatis exemplum cohortationibus vestris, optimi praeceptores, fidem et robur, idemque orationi meae terminum dabit.

DE

VI ET POTESTATE LITERARVM

ORATIO X.

HABITA VII. KAL. DECEMBRIS. AN. MDCCXLII.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

NICOLAO IVDICE

S. R. E. CARDINALI

PAVLINVS A S. IOSEPHO.

S. P. D.

SINGVLARIS illa tua ac nemini non perspecta humanitas, qua me primum ab eo tempore, cum, Clemente XI. Pontifice Maximo, Apostolici Palatii praefecturam summa cum laude gereres, complexus es, et qua deinde a Benedicto XIII. Cardinalis renunciatus, me semper, quaecunque se dedit occasio, prosequutus es singulariter,

singulariter, certe postulare videbatur, vt obseruantiam erga te meam aliqua literarum significatione publice testarer. Sed cum satis exploratum mihi esset acre illud ac perspicax tuum de bonis literis studiisque doctrinarum iudicium, facile intelligebam, nihil tibi probatum fore, nisi quod esset ingenio summe elaboratum atque perfectum. Itaque diem exspectabam, in qua tandem rude donatus, ab hoc publico diuturnoque docendi munere feriari possem; tantumque mihi otii suppeteret, quantum Geometricis quibusdam, quae saepe tecum communicaueram, cogitatis meis perficiendis limandisque satis esset: quae quidem nomini tuo nuncupare statueram, vt tuorum essent erga me beneficiorum perpetuum monumentum. Sed cum interim docti quidam viri ex iis, qui domum tuam, tanquam bonarum artium et sapientiae officinam, frequentare solent, ad te detulerint, se illo die summa cum voluptate in Romano Gymnasio de singulari vi ac potestate literarum in animis hominum peruincendis me dicentem audiuisse, cum scilicet solenni oratione studiorum initia celebrarem: postero die vnus ex familiaribus tuis ad me venit nomine tuo mihi perhumaniter gratulatum, qui mihi affirmauit, te orationem ipsam perlegendam valde cupere. Nihil moror: ecce illam, qualiscunque ea sit, ad te mitto; obtestorque te plurimum, vt, quicquid in ipsa minus emendate, minus polite diserteque dictum offenderis, illud omne censoria animaduersione libere notes, expungas, corrigas. Nihil enim mihi gratius, nihil optabilius accidere poterit, quam, talem virum sapientia, doctrina, literisque excultum, studiorum meorum iudicem ac censorem habere. Interea vero pro tuis erga me meritis dum tibi aliquam referre gratiam, vt antea dixi, cogitabam, nouo me beneficii genere tibimet deuinctum esse intelligo. E Collegio Nazareno VI. *Kal. Decembres* MDCCXLII.

Quo plura sunt, PP. amplissimi, quae ad optimarum artium laudes celebrandas quotannis ex hoc loco afferuntur, eo certioribus argumentis intelligere potestis, nullum esse lumen ingenii, nullum eloquentiae flumen, nullamque dicendi copiam, quae earum dignitatem circumscribere possit, certisque terminis definire. Nam cum iam toties de illis, celeberrimo hoc die recurrente, clarissimi oratores verba fecerint: adhuc tamen tam multa, tam varia, tamque splendida sese offerunt argumenta, vt non tam inuenire quid dicam, quam seligere quid potissimum dicendum sit, res mihi omnium longe difficillima videatur. Vix enim literas cogito, cum statim occurrunt animo vtilitates et vberrima commoda, quibus illae hominum vitam augent; occurrit splendor et gloria, quam cuique amplissimam afferunt; occurrit voluptas maxima et incredibilis iucunditas, qua nos in omni fortunae gradu cumulatissime afficiunt, vt proinde in tanta rerum dicendarum copia quid agam, quo me vertam, aut quam viam insistam, prorsus ignorem. At vero in tam ancipiti deliberatione cum diu multumque versatus essem, vnam tandem animo prospexi literarum praestantiam ceteris praeferendam, longeque ceteris illustriorem, quam et celebritate huius loci et sapientia vestra dignam fore iudicaui. Animaduerti scilicet, eam esse literarum vim incredibilem ac prope diuinam, vt in animis quoque hominum imperium habeant ac potestatem. Qua quidem re quid praeclarius ad bonarum artium dignitatem dici, aut quid maius excogitari vnquam possit, minime video. Neque enim tenuis, aut vulgaris agitur doctrinae triumphus, si elatos mortalium animos ac natura superbos illa vincere queat, sibique subiicere. Itaque nemini,

ni, quemadmodum spero, iniucunda erit oratio mea: nam et vos Adolescentes optimi, qui tandem futuri sint studiorum vestrorum fructus, iam inde cognoscetis, et vos, PP. amplissimi, taciti reputabitis, quae sint dignitatis vestrae ornamenta, et in quo gloriae fastigio vos ipsa literarum studia collocauerint.

Quanta sit doctrinae vis, quantumque in animis hominum valeat, poetae fabulis pulcherrime fictis rem non obscure adumbrarunt: Orphei praesertim, quem dulcedine lyrae non modo syluas et saxa ad se trahere, sed etiam feras immites et flumina cantu detinere finxerunt: qui proinde crudeles tigres et rapidos leones lenire ab Horatio dictus est. At vero non ille syluas, vt D. Gregorius Nazianzenus ait, sed syluarum incolas vi et suauitate loquendi traxit; non saxa, sed dura hominum pectora molliuit; non feras, sed efferatos hominum mores mitigauit; postremo non flumina, sed iuuenes in omnem voluptatem defluentes continuit. Equidem hac ratione primis illis temporibus conditae vrbes, et ciuitates constitutae sunt. Sic abducti ab agris et syluis homines, fera agrestisque vita mutata, leges rogatae, iura iudiciaque descripta, sapientis videlicet viri doctrina atque eloquentia. Neque aliud certe fuit regnorum initium, regumque nomen et potestas non aliunde profecta est. Nam cum aliquis in ciuitate exsisteret, qui ceteris sapientia praestaret, et, quid aequum, quid iniquum, quid vtile, quid honestum sit, sapienter definiret; quique praeterea res tum priuatas, tum publicas optime administrandi rationem traderet, populus ad eum frequens conuenire, ab eo tum de bello, tum de pace consilium capere, atque ex eius imperio, non vi et armis, sed voluntate et obsequio omnia facere consueuit. Sic ille Nestor, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio, Pyliis imperasse dicitur; sic Euander in Latio imperium tenuit auctoritate, quam sibi apud rudes populos admiratione literarum conciliauit; sic denique Numa Romanis leges praescripsit, singularis sapientiae fama et Egeriae Deae colloquio celebratus. Itaque quod strenui duces ac fortissimi imperatores copiis atque exercitu instructi, et omnia vi, minis, igne ferroque vastantes, vix tamen obtiuent, vt populos in ditionem suam redigant, id olim per se nullis armis nulloque terrore militum obtinuit doctrinae ratio, cum tot illi gentes ac populi sese vltro dederint. Consecutis inde temporibus, omnes optime institutae ciuitates, omnes liberi populi, omnes praeclarae respublicae semper apud se doctissimos viros habere studuerunt, quos de politicis rebus, de oeconomicis, de legibus, de iudiciis ac de omni ciuili scientia consulerent. In his fuere Solon, Lycurgus, Zoroaster, Trismegistus aliique plurimi, qui sanctissimis legibus et institutis ciues suos sapientissime gubernarunt. Neque vero mirum, quod populos ita doctrinae fama sibi subiecerit, cui clarissimi quoque duces et imperatores terrarum orbis victores, manus dare, et ab ea vinci praeclarum sibi duxerunt. Philippus, rex Macedonum, vir magnitudine animi, et bellicis laudibus cum paucis comparandus, Athenienses bello graui diuturnoque vicerat; cumque Athenas in suam potestatem redegisset, communis fuit tum ducum, tum etiam amicorum regis sententia, vt rex vrbem sibi, ac Macedonum nomini tot annos infestissimam, aliquando euerteret, euersamque solo aequaret. Sed Philippus, eorum spreto consilio, recusauit, vrbem doctrinae, vt ipse ait, et literarum theatrum exscindere. Quid vero Cn. ille Pompeius tot tantisque victorijs

Europa,

Europa, Asia, atque Africa terra marique partis iure optimo magnus, qui Posidonii philosophi auditor fieri, eiusque postibus laureatos fasces submittere gloriae sibi duxit? Quid C. Caesar, qui M. Tullium, Pompeianas partes secutum, post Pharsalicum praelium non modo in gratiam recepit, sed eum quoque deinde perpetuo et coluit et singulari humanitate complexus est; quod diuinam eius eloquentiam tanti faceret, vt illum omnium triumphorum laurea dignum affirmauerit, multo praeclarius esse asseuerans, ingenii et Romanae linguae terminos, quam imperii fines promouere. Enimuero admirabilem esse literarum vim inde clarius intelligetis, si in peruersis hominum moribus castigandis, prauisque affectibus leniendis eas plurimum posse animaduertatis. Omnes quidem, quotquot homines sunt, probe norunt, perturbationes animi morbos esse graues et periculosos, quibus ille longe deterius, quam aestu febrique corpora, conflictatur. Quid enim aliud est amor, odium, metus, voluptas, dolor, nisi grauissimae animorum aegritudines, quibus illi misere cruciantur? Quarum saepe tanta vis est atque acerbitas, vt homines ab iis intereant, vel impatientes morbi voluntariam sibi mortem consciscant. Quot, quaeso, amor vsque ad insaniam induxit? Quot dolor exulcerauit? Quot moeror ad mortem adegit? Sed plures profecto sanauit pharmacum illud, quod Homerus Nepenthes nominauit, sermo scilicet doctrina conditus. Hoc nimirum Helena Telemachum hospitem ingenti moerore confectum ad hilaritatem reuocauit, cum inter pocula paternam Vlyssis virtutem, resque ab eo praeclare gestas commemorans, adolescentis animum reddidit alacriorem. Et sane quorsum spectabant Tusculanae M. Tullii quaestiones de tolerando dolore, de aegritudine lenienda, ac de reliquis animi perturbationibus sedandis? Quo tendebant Platonis, Clitomachi, Carneadis, et aliorum de luctu minuendo opuscula? Quo virorum illustrium tot de consolatione commentaria, Sulpitii ad Ciceronem, Ciceronis ipsius ad semet de interitu filiae consolandum, Senecae consolatio ad Polybium, ad Marciam, ad Heluiam matrem, Plutarchi ad Apollonium, ad vxorem; et scripta alia, quibus viri sapientes parem magnitudini doloris medicinam attulerunt? Intelligebant enim eiusmodi viri, extremis malis, extrema remedia esse adhibenda: proinde Philosophiae praeceptis atque omni doctrinae genere vsi sunt, qua sola potentissima vi sese malorum acerbitati mederi, et languentes ac prope desperatos animos ad sanitatem posse traducere putauerunt. Audite, quid M. Tullius in Tusculanis quaestionibus de consolatione dicat, quam ipse sibi ob amissam carissimam filiam paene doloris vi exanimato, a literis et doctrina quaesiuit. Aegritudinis sedatio, inquit, et hesterna disputatione sedata est, et in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) moerore et dolore conscripsimus. Quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturaeque vim attulimus, vt magnitudini medicinae, doloris magnitudo concederet. O magna doctrinae vis, quae acerbissimum vulnus paterno pectori recens inflictum si minus sanare, at certe lenire potuit.

Verum inter ceteras animi aegritudines, quibus homines, quasi mortifero morbo vrgeri, atque admodum dies noctesque vexari solent, duae sunt omnium maxime periculosae, libido atque iracundia. Sunt hae profecto geminae furiae taedis ardentibus armatae, quae homi-

nem

nem in omne flagitiorum genus praecipitem agunt: neque vlla vis eſt, aut virtus, quae illum cohibere poſſit atque retrahere. Non parentum obſequia, non amicorum conſilia, non ſuppliciorum metus, non ipſa vitae diſcrimina quicquam valent, vt animus ab alterutra huiusmodi face inflammatus queat a concepto ſcelere dimoueri. Rationis enim lumine orbatus, in praeceps ruat neceſſe eſt. Sed o admirandam literarum virtutem! o vim doctrinae incredibilem! attendite, quaeſo, factum ſingulari admiratione dignum, quod niſi Valerius Maximus, Diogenes Laertius, Lucianus, tum etiam ex noſtris ſanctiſſimi viri Hieronymus, Auguſtinus et Ambroſius, literis tradidiſſent, vix cuiquam credibile videretur. Erat Athenis Polemon, adoleſcens luxuria perditiſſimus, a ſummo mane ad veſperam vsque ebrius et crapulae indulgens, quem Athenienſes, vt Lucianus refert, ſe nunquam ſobrium vidiſſe affirmabant. Hic, lucente iam ſole, e nocturno conuiuio domum rediens, vt erat vnguentis delibutus, floribus coronatus et pellucida veſte amictus, Xenocratis celeberrimi philoſophi ſcholam, doctorum hominum turba refertam, ingreditur. Atque hic crapulam exhalans vinoque languidus, non modo inter honeſtiſſimos iuuenes eo laſciuiae habitu conſedit, ſed etiam ore impuro diſputationem interpellare auſus eſt. Tum omnes indignitate rei commoti, ſtomachari, fremere, indignari audaciſſimi hominis petulantiam. At Xenocrates, vultu nihil immutato, omiſſis iis, de quibus diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui coepit, tanta quidem vi et grauitate, vt Polemon, quaſi graui ſomno experrectus, ſtatim reſipiſcere viſus ſit. Proinde primum coronam capite detractam proiicit, deinde brachium in pudoris et modeſtiae ſignum intra pallium reducit, demum effuſam oris hilaritatem contraxit, atque omnem prorſus luxuriam ac turpitudinem abdicauit; adeo, vt et philoſophus poſtea clarus euaſerit, et ipſi magiſtro in ſchola regenda ſucceſſerit. Ecquis, quantum doctrina valeat, plane non videt, ſi ex vna Xenocratis lectione iuuenem perditum luxuria, pudicum et continentem, turpiſſimum ganeonem, philoſophum praeclarum fieri videat? Quid ſi dicam illum ipſum in reliqua vita ea grauitate, temperantia ac pudore ſe geſſiſſe, vt ad eum ſcorta accedere non auderent? O inauditam ſapientiae virtutem, omnium literis et praedicatione dignam! At vero de iracundia, quam Ennius inſaniae principium eſſe dixit, haud minorem victoriam attendite. Hanc autem eloquentia, quae flexanima non immerito a Pacuuio poeta dicta eſt, veluti propriam ſibi vindicat; quam proinde vobis, ſtudioſi eloquentiae adoleſcentes, longe iucundiorem fore non dubito. Oderat C. Caeſar Q. Ligarium acerbo animo atque infeſto, quod ille pro Cn. Pompeio in acie Pharſalica ſteterat, tum etiam, quod multa alia contra dignitatem ſuam eum feciſſe non ignorabat. Quamobrem conſtituerat apud ſe cum eo nullo vnquam tempore reconciliari. Cum autem Ciceronem pro eodem Ligario ſibi ſupplicaturum audire non recuſaſſet, amicos praemonuit, Ciceronem abs ſe, non ignoſcendi animo, ſed officii gratia auditum iri. Quid enim obſtat, ait, quo minus M. Tullium pro Ligario dicentem audiamus, quem iampridem hominem improbum et hoſtem noſtrum eſſe conſtat? Age porro dixit Cicero pro Ligario, at tanta dicendi arte atque ingenio, tanta ipſius Caeſaris propter clementiam commendatione, tantaque erga reum miſeratione ac precibus, vt Caeſar, mutata voluntate, iniurias omnes Ligario condonauerit, atque in

gratiam

gratiam receperit. Sed audite rem a Plutarcho diligentius expositam. Postea quam Cicero (inquit) dicere orsus est, mirifice eum commouit; variisque affectibus et mira gratia eius oratio ita progressa est, vt colorem identidem Caesaris facies variaret, perspicuumque omnibus esset, eum animi motibus concitari et ad misericordiam flecti. Denique vbi pugnam Pharsalicam orator attigit, vsque adeo animo perculsus est, vt toto corpore contremuerit, atque ei de manibus libelli aliquot, quos tenebat, exciderint. Itaque precibus expugnatus, Ligarium crimine absoluit. Audiuistis, Auditores, Caesarem illum virum fortissimum atque inuictum, qui tot victorias reportauerat, quot bella gesserat; tot gentes populosque domuerat, quot praelia commiserat, a Cicerone eloquentiae vi expugnatum, oratori dare manus, reo parcere, atque inimicum in gratiam amicitiamque recipere? Quae victoria tam noua et incredibilis, quae cum hac comparari vnquam possit? Quae tanta virtus ac potestas, quae victorem gentium et imperii Romani moderatorem cogeret ad hominem sibi infensissimum complectendum, cui hostem se perpetuum fore obfirmata voluntate declarauerat? O quam vere ipse M. Tullius eloquentiam animorum dominatricem centies et millies nominauit! Quam recte Euripides aiebat, quaecunque ferrum moliri, atque efficere potest vis hostium, ea omnia confici oratione viri eloquentis. Profecto me dies deficeret, si clarissimas et innumerabiles commemorare velim victorias, quas eloquentia in omni temporum memoria detulit, principum regumque animis expugnatis. Sed hic non eloquentiae laudes celebrandi locus est, cum in praesens omnium disciplinarum caussam agendam susceperim. Quae quidem singulae tantam in se vim continent, vt animos hominum natura caelestes et diuinos sibi subiicere queant. Quid enim de medendi facultate, quid de iurisprudentia dicam? Vtinam illae in nobis haberent minus auctoritatis et imperii! profecto nos earum cultoribus fortunas, opes, vitam denique ipsam haud tam facile crederemus. Medicos quidem, eloquentes praesertim, vitae necisque nostrae imperatores statim fieri, C. Plinius senior iniquo animo ferebat. Enimuero honorem illis nos liberaliter deferre, sacrae literae iubent. Iurisperitos autem, in hac potissimum ciuitate, tanti facimus, vt eorum iudicio consilioque cuncta fere dirigi, gubernarique videantur. Hinc est, quod tamen saepe homines, non splendore generis, non opibus, non aliqua ratione praeclaros, sed obscuro et aliquando etiam infimo loco natos, videmus apud principes viros et clarissimos reges amicitia, gratia et auctoritate valere, quorum ipsi doctrina consilioque omnino nituntur. Equidem memoriae proditum est, Alexandrum Seuerum nihil vnquam, nisi ex doctorum hominum scientia, gerere consueuisse. Nec nobis hic vetustiora consectari opus est: quot modo sunt in Vrbe ante oculos omnium nobilissimi Praesules, et amplissimi Cardinales, qui hominum doctrina praestantium sententiam in grauissimis negotiis exquirunt, eorum consilia sequuntur, omnia demum ex vnius sapientis viri iudicio deliberant? Et erit quisquam, qui dubitet, magnam inesse doctrinae vim magnamque auctoritatem, cum videat viros genere ac dignitate primarios, tum etiam aetate graues, qui omnibus imperare, nemini parere consueuerint, homini tamen literato sese vltro subiicere, suoque illius praeferre iudicium, qui cum iisdem sit neque aetate, neque ceteris vitae ornamentis vllo modo comparandus?

Valeant ergo, valeant, qui hoc tempore de literarum ſtudiis demiſſe cogitant, et perperam obloquuntur. Non iacent profecto literae: non otiantur; neque deſpectui ſunt vlli, vt iſti dictitant, literarum cultores. Habet, habuitque ſemper ſuam vim, ſuum robur ſcientia et doctrinae praeſtantia; atque id non ſolum in vulgo et in multitudine imperitorum: ſed etiam in regum et clariſſimorum principum animis, qui a nemine vinci, nemini cedere, niſi ſapientibus viris, praeclarum ſibi eſſe ducunt. Quamobrem, Auditores, ſi quis erit in poſterum, qui, vobis audientibus, literarum dignitatem contemnere audeat, aut doctrinae ſtudia nullius vtilitatis, nullius gloriae, nullius denique momenti eſſe iudicet, hunc vos vel amentem, vel dignitatis ſuae parum cupidum eſſe putatote.

DE

LAVDIBVS

LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS

PARENTALIBVS

ORATIO XI.

HABITA VII. KAL. MARTII.

AN. MDCCXLV.

TRISTIS ſemper et acerba mihi accidit illius diei memoria, in quo Leo X. Pont. Max. incredibili bonorum omnium moerore ſummaque totius Vrbis comploratione et lacrimis interiit. O diem reipublicae ac religioni funeſtiſſimum! O luctuoſam triſtiſſimamque Pop. Rom. calamitatem! Iam quinque ſupra viginti et ducentos enumerantur anni, ex quo ille publicae felicitati praereptus eſt, et, tanquam recenti refricato vulnere, adhuc miſeris modis dolemus. Solenni quotannis officio in hoc religionis et literarum domicilio Leoni ipſi iuſta perſoluimus, clariſſimam illius memoriam ſingulari laudatione proſequentes: ſed tantum abeſt, vt pietatis huiusmodi ſignificatione ſatis nobis feciſſe exiſtimemus, aut in nobis extincti deſiderium minuatur, vt illud contra magis ac magis in dies augeri ſentiamus. Etenim tanta fuit Leonis X. virtus, tam incredibilis ſapientia, tanta in omnes, praeſertim vero in viros doctos, liberalitas ac beneficentia, vt, quotquot iisdem temporibus extiterunt ſcriptores, illum ſummis laudibus ad caelum extulerint; illum munificentiſſimum principem,

principem, illum Pontificem optimum, ac sempiterna recordatione dignum, vnanimi consensione praedicauerint. In tanta igitur celebritate laudum tantoque virtutum plausu, quo me vertam, aut quid consilii capiam, prorsus ignoro. Neque enim possunt, tam breui ad dicendum tempore constituto, amplissimae Leonis virtutes vel numerando recenseri: neque mihi mens est ire per singula praeclarissima eius facta, et vos diutissime in audiendo defatigare. Itaque digitum ad fontem, vt aiunt, intendam, atque operam dabo, vt paucis intelligatis, Leonem X. hoc tantum sui desiderium reliquisse, hanc tantam gloriae diuturnitatem esse consecutum ex liberalitate in literarum cultores, ex summo denique optimarum artium patrocinio. Hinc profecto ille sibi nominis immortalitatem comparauit, atque hinc quoque hodierno die erit mihi praecipuum ac proprium de eius laudibus argumentum, ceteris quidem ab eo praeclare gestis silentio praetermissis, quae fere singulis annis ex hoc amplissimo loco celebrari consueuerunt.

Digna sane viro principe laus est liberalitas, quam primam et peculiarem imperantium dotem Alexander Seuerus nuncupare solebat; qua si qui careant, vix illi principis nomine digni esse videntur. Nimirum qui rerum potiuntur, hac vna virtute populorum beneuolentiam sibi maxime conciliant, imperiumque sibi beneficiis longe melius, quam armis tuentur. Quod cum satis optimi principes intelligerent, illud dies noctesque cogitabant, quo pacto possent de omnibus bene mereri; ac diem illum, in quo non aliquem beneficio ornatum sibique deuinctum dimisissent, sibimet omnino periisse putabant: quemadmodum prae ceteris de Tito Caesare, de Traiano imperatore, aliisque plurimis historiae loquuntur. At vero quanquam principes ipsi liberalitatis laude tantopere commendentur: fit tamen saepe, vt ea ipsa sic abutantur, vt propter illam, non tam in laudem quam in sermonem et vituperationem hominum veniant: quod nimirum, qua in re liberalitas eiusmodi sita sit, minime intelligant. Alii enim in venationibus, in ludis sumptuosis et spectaculis magnificentissimis pecuniae magnam vim profundunt; alii in tabulis pictis, signis et marmoribus; alii denique in magnificentia aedificiorum, in fontibus ac pyramidibus ad caelum vsque extollendis, immensas publici aerarii opes insumunt atque disperdunt. Verum errant, profecto errant, si non in publicis commodis, sed in vanis huiusmodi substructionibus verae liberalitatis laudem contineri sibi persuadeant. Falluntur, inquit Tacitus, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere multi sciunt, donare nesciunt. Hinc est, quod Plinius, vt veram et germanam Traiani ab inani et fucata praeteritorum Caesarum, liberalitatem distingueret: ambitio, inquit, et iactantia et effusio et quiduis potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat. Et Isocrates regem suum Nicoclem admonebat, vt splendidissimus quidem esset, sed in his rerum sumptibus liberalitatem ostenderet, quae fructum nunquam interiturum ex se parerent.

Quae cum ita sint, plane dubitari non potest quin Leo X. verae liberalitatis laudem probe nouerit, eamque fuerit perfecte assecutus. Ex regia enim Medicea familia natus, et in paterna domo, munificentiae et splendoris veluti officina, liberaliter educatus, cum ipso paene nutricis lacte germanae virtutis et laudis sensus altius imbiberat. Nouerat quidem adolescens, mira ingenii dexteritate praeditus, Graecis praeterea ac latinis literis sapienter instructus, quan-

tum discriminis inter veram et fucatam liberalitatem intercederet. Nouerat, maiores suos, immortalis memoriae viros, Cosmum proauum, Petrum auum, et Laurentium patrem, summo reipublicae bono, in optimarum artium commoda immensas fere opes summa cum laude prodegisse. Proinde ipse quoque in omni vitae genere, et Cardinalis, et Pontifex, hanc eandem Mediceae domus gloriam, literarum patrocinio comparatam, quasi propriam sibi asseruit, et, quam maxime potuit, amplificauit. Nam vt silentio praeteream, quam liberali gratoque animo egregius adolescens se gereret erga Angelum Politianum, Demetrium Chalcondylam, Scipionem Carteromachum, aliosque viros, literarum dignitate clarissimos, quos ad humanitatis studia, ad eloquentiam, ad philosophiam et ad omnem eruditionem tum Graecam, tum Latinam magistros habuit; vt nihil loquar de officiis ac liberalitate, qua vsus est plurima, erga viros doctrina praestantes, cum ab Innocentio VIII. Cardinalis in ipso aetatis flore renunciatus, in Academia Pisana versaretur, vt iuri addiscendo operam daret; postremo vt missum faciam omne illud fortunatissimum tempus, quo paterna eius domus opulentia, fortunis, gratia, auctoritate opibusque maxime floruit; cui mirum non videatur, quod aduersante deinde fortuna, et communi Italiae fato, Mediceae quoque domus ruinam et vastitatem inuoluente, ille nihilominus idem erga literatos homines studium, eundem animum eandemque voluntatem perpetuo conseruaret? Nemo vestrum ignorat tristissima ea tempora, quae bellorum tumultibus agitata, seditionum turbarumque tempestate quadam Italiam fere vniuersam misere iactarunt. Ea tunc fuit Mediceae gentis calamitas, vt ciuium improborum inuidiae, furori ac telis cedere, patriosque splendidissimos lares fuga deserere cogeretur. Cumque ex hac flamma periculoque Cardinalis Medices euolasset, decem et octo annos per Italiam, Galliam atque Germaniam peruagari compulsus est. In hoc autem tam misero, tam difficili diuturnoque exilio quis crederet, Ioannem Medicem facultates, quas sibi reliquas fortuna fecerat, literatis hominibus liberaliter nunquam destitisse impertiri? Et sane etiam tum fuerunt Romae, fuerunt Mediolani, fuerunt Genuae atque Florentiae, viri literarum cultores, quos suis ille sumptibus alebat, et, quibus poterat, opibus sustentabat. Vix cuiquam credibile videretur, aut ratorum more a me verbis auctum et exaggeratum id, quod dicam, nisi Paulus Iouius, Nucerinus Antistes, rem literis testatam faceret. Talis erat, inquit, Cardinalis Medices, etiam dum exularet, erga viros doctos liberalitas, vt non defuerint aliqui, qui iuuenem serio admonerent, vt sibi ab eiusmodi largitate temperaret: venturum enim tempus, quo ipse, propter rei familiaris inopiam, neque alios, neque se sustentare posset. Sed ille: egone, ait, viros doctos deseram? Ego ab illis vnquam diuelli patiar? Malo equidem cum ipsis exul atque egens extremum vitae spiritum ducere, quam sine illis in patriam reuerti atque regnare. O praeclaram vocem, magnanimo viro dignam! O incredibilem erga literarum studia animi propensionem! Iam vero minime decebat, vt tanta ac tam singularis virtus, quam immortalis Dei prouidentia amplificando communi literarum bono destinauerat, diutius delitesceret. Itaque, extincto Iulio II. Pontifice, ipse Cardinalis Medices ad summum Pontificatus apicem Leonis X. nomine, ingenti Pop. Rom. plausu et bonorum omnium gratulatione euectus est. Quis autem hic breui orationis ambitu

ambitu complecti possit, quae et quanta ille in Pontificatu liberalissime fecerit ad dignitatem literarum prouehendam? Si homo priuatus, patria pulsus, exulans atque egens tam liberalem se praebuit eruditis hominibus, quam modo audiuistis: quid eum putatis, cum Romanus Pontifex, Ecclesiae caput et princeps fuerit renuntiatus, esse facturum? Non ignoro equidem, quandoque fieri, vt hominum mores, maxima dignitate accedente, immutentur, longeque alii, ac prius, esse videantur. At constans eademque semper fuit Leonis X. erga literatos voluntas, creuitque in eo summa cum dignitate liberalitas. Quare vix Lateranensi Concilio, quod Iulius II. inchoauerat, feliciter absoluto, vix sedatis iis, quas Caruaial et Sanseuerinus, Cardinales, in Pisano conuenticulo excitauerant, turbis; vix denique Italiae rebus pace et tranquillitate compositis, cum continuo literarum studiis ad Vrbem, vnde per varias temporum acerbitates diu exulauerant, reuocandis omnem animum adiecit. Verum optimis disciplinis in Vrbe restituendis tempus nimis inopportunum et alienum nactus es, Leo Pontifex Maxime. Nonne Pontificii aerarii opes diuturnitate bellorum prorsus attritae? Nonne Ecclesiasticae ditionis prouinciae aut igne ferroque vastatae, aut multo aere alieno obstrictae? Nonne demum Roma ipsa, imperii sedes, grauissimis oppressa vectigalibus? Haec profecto uemo non videt, qui Pontificatum Iulii armis perturbatum ac plus nimio bellicosum omnino non ignorat. Sed haec principes alios percellant impediantque, quo minus erga literas et literatos se munificos ac liberales ostendant; non autem Leonem X., qui nominis sui magnitudini parem habet animum ac beneficentiam. Itaque iam ex Italia vniuersa, ex Graecia, Germania, Gallia, aliisque remotissimis prouinciis ad Vrbem properant, Leone ipso magnis propositis praemiis inuitante, viri doctrina, literis et eruditione clarissimi; atque omnes in Leone, non tam Maecenatem aliquem beneficum, quam amantissimum literarum parentem inueniunt. Etenim quotquot Latinis Graecisque literis eminebant, quotquot dicendi elegantia, aut poetica facultate clari, quotquot Philosophia, sacrarum literarum, aut iuris scientia praestabant, cuncti quidem vberrimos doctrinae fructus a liberalissimo Pontifice reportarunt. O liberalitatem singularem! O fortunata ac vere aurea tempora! Laudauerunt veteres annalium scriptores Augustum Caesarem, quod Publ. Virgilium, Lucium Varum et Horatium Flaccum amplissimis praemiis cohonestauerit, tum etiam quod ingenti liberalitate cum M. Vitruuio Pollione vsus sit. Laudauerunt alii Vespasianum Caesarem, hominem alioquin pecuniae cupidum, quod praestantes aliquot poetas coëmisset, et Basso Saleio, egregio vati, quingenta sestertia donasset. Laudauerunt alii postremo Hadrianum Caesarem, quod eos diuitiis honoribusque decorauerit, ac vacare vitae reliquum iusserit, qui Romae docuissent, et propter ingrauescentem aetatem muneri suo satisfacere amplius non possent. Haec autem quota pars est eorum, quos Leo X. summa liberalitate excepit, fortunis auxit opibusque cumulauit? Dies, aut memoriae vis me deficeret, si dicendo numerare velim oratores, historicos, philosophos, iurisperitos, geometras aliarumque disciplinarum cultores, eius beneficentiae testes locupletissimos? Non commemorabo, id quod apud omnes peruulgatum est, viros amplissimos, Bembum et Sadoletum sibi ab epistolis esse voluisse. Silentio praetereo duo clarissima Graeciae lumina, Lascarem Rhyndacenum et Marcum Musurum Cretensem, quos

summo honore coluit, et vtrumque sacerdotiis et infulis decorauit. Mitto Ioannem Antonium Pollionem, Mutium Aurelium, Camillum Paleottum, Iulianum Camertem, Latinum Iuuenalem, Io. Franciscum Roboreum, Guidonem Posthumum aliosque sexcentos, quos paterna benignitate complexos et opibus, et praefecturis, et magistratibus amplificauit. Sed tacere omnino non possum praeclara illa duo Dominicani Ordinis ornamenta, Thomam de Vio et Sancten Pagninum, ciuem meum: quorum alterum Theologicis studiis et doctrina celeberrimum ad Romanae purpurae dignitatem euexit, et ad refraenandam Lutheri audaciam in Germaniam legatum Apostolicum misit: alterum vero, Graecis Hebraicisque literis nemini secundum, Florentia Romam attraxit, vt eruditissimum in Vrbe absolueret de sacris literis commentarium, praeclarum sibi fore existimans, si illud nomini suo inscriberetur. Quid plura? Audite Pauli Iouii grauissimum testimonium. Nulla in re, inquit, ardentius et effusius, quam ad liberalitatis gloriam anhelauit; eos principes indignos existimans, qui nequaquam benefica manu fortunae muneribus vterentur. Nemo enim vel ciuis, vel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo vel male sanus poeta, nemo alicuius optimarum literarum partis non ignarus vnquam fuit, qui benignitatem humanissimi principis non senserit. O si tales Principes, quae Leonem consecuta sunt, tempora nobis attulissent, profecto Vrbem minus pulchram at longe doctiorem haberemus. Neque enim hic magnificentissima tecta ac moles, neque tot fontes fluminum instar defluentes peregrini atque aduenae tantopere suspicerent: sed infinitam doctorum hominum multitudinem beneficentia principis sustentatam, quae, doctrinarum studio, vel sacras literas illustraret, vel scriptis haereticorum tela retunderet. At vero, quae fuerit vel in hoc sapientia Leonis, attendite. Cum intelligeret homo sapiens ac prouidus, hanc tantam suam liberalitatem nihil literis profuturam, nisi beneficentiam eiusmodi ad venturas quoque aetates protulisset: Romanum hoc amplissimum Gymnasium in media Vrbe a fundamentis excitauit, stabile ac perpetuo mansurum bonis artibus domicilium. Nouerat enim vir sapientissimus, benefacta principum, praeclara quamuis et illustria, parum emolumenti ac laudis habere, si breui eorum vitae curriculo circumscribantur, neque ad posteritatem sese vllo modo extendant. Caelestibus flammis ea quidem simillima esse videntur, quae aliquando fulgore insolito radiantes in aethere apparent, et ad se omnium oculos et admirationem trahunt: sed fere statim ex alto ruunt atque euanescunt. Amauit quoque literas et literatos Eugenius IV., de quo Platina scribens: liberalis fuit, inquit, in omnes, tum maxime in literatos, quorum familiaritate delectabatur. Nam Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Aurispam, Trapezuntium, Blondum, viros doctissimos, inter suos admisit. Amauit literas et literatos Nicolaus V., homo sapientia et doctrina cum paucis comparandus, qui viros Theologia et quouis alio optimarum artium genere conspicuos summa liberalitate ad se recepit, et conquisitis ex tota Graecia voluminibus, iisque in Latinam linguam conuersis, adeo ingenia fouit excitauitque, vt eius temporis historici de illo affirmare non dubitauerint, disciplinarum omnium studia Romae nunquam magis, quam eo imperante, effloruisse. Amauit denique literas et literatos Pius II. vir ingenio, literis et eloquentia clarissimus, qui in summo

nio quoque Ecclesiae fastigio collocatus, nunquam doctrinae studia intermisit, tum etiam viros doctos pecunia iuuit, maximisque honoribus decorauit. Verum quid postea? Nemo est eorum temporum sic ignarus, vt nesciat, Romanis hisce Pontificibus vita functis, omne pariter cum ipsis literarum decus et patrocinium interiisse. Nimirum vno eodemque tempore, in quo Pontifices illi sapientissimi extincti sunt, occidit quoque omnis doctrinae lux, omnis literatorum hominum spes atque felicitas. Enimuero Leo X. singularem suam erga literas et literatos beneficentiam, non caducam, neque breui vnius aetate spatio definitam esse voluit, sed sempiternam et immortalem. Voluit scilicet in hoc Romano Gymnasio veterem eloquentiam perpetuo regnare. Proinde Ianum Parrhasium Cosentinum, id temporis dicendi facultate clarissimum, ducentorum aureorum stipendio proposito, ad hanc prouinciam arcessiuit, datis ad eum literis humanissimis; quem deinde Amasaei, Beroaldi, Mureti, Manutii, Cotelii, Antoniani, Vgones, Fontanini aliique primi ordinis oratores consecuti sunt, qui pro Romana eloquentia ac bonis literis contra barbaros earum corruptores, tanquam pro aris et focis, strenue decertarunt. Hic duas iam aetates Philosophia, parens ac magistra virtutum, tranquillam habuit stationem. Hic mathematicae disciplinae, hic medendi facultas, hic ciuilis et Pontificii iuris scientia, hic denique sacrarum literarum doctrina, perpetuos habuere, et nunc habent, magistros sapientia et eruditione praestantes, quos omnes percensere, aut de singulorum laudibus dicere, nimis longum foret, ac permolestum. Quid vero loquar de iis, quae ad huius academiae dignitatem firmandam perpetuoque stabiliendam, Leo X. prouidentissime constituit? Quid hic referam praeclarum et satis amplum stipendium optimarum artium professoribus de publico aerario liberaliter decretum? Quid demum binas illas Apostolicas sanctiones commemorabo, quibus, duplici veluti propugnaculo, hanc bonarum artium arcem ita firmauit et communiuit, vt nulla vnquam futurorum temporum calamitas, nulla eam posset improborum hominum vis et audacia labefactare?

Quaenam igitur tam prouidae ac tam singulari beneficentissimi Pontificis liberalitati par oratio inueniri vnquam poterit? Non modo ille, quamdiu vixit, honestissimas disciplinas ac viros doctos munificentia prope regia prosecutus est: sed ad posteros quoque, et ad omnem aetatem propagari voluit beneficentiae suae fructus vberrimos. De vobis ille, Quirites, de liberis vestris, serisque nepotibus anxius fuit atque sollicitus, cum in Vrbe de Pontificio aerario optimarum artium sedem perpetuumque domicilium stabiliuit. Quo maiore ille tandem poterat beneficio de hac ciuitate, de Pop. Rom. de vniuersa literarum republica bene mereri, quam hoc celeberrimum toto orbe Gymnasium constituendo, in quo tum Romani ciues, tum peregrini atque hospites haberent semper ad omne disciplinarum genus peritissimos duces doctissimosque magistros? Quae cum ita sint, iam finem dicendi faciam: at prius, quantum potero, voce contendam, vt cuncti hoc exaudiant: Leo X. ex optimarum artium patrocinio iure et merito immortalis tot saeculorum fama viuit; et tamdiu profecto viuet celebritate gloriae, laudatione grataque posterorum memoria immortalis, quamdiu bonis artibus et decus, et nomen, et laudes manebunt.

DE

FELICITATE
VIRI LITERATI
ORATIO XII.

HABITA IDIBVS NOVEMBRIS AN. MDCCXLVII.

VETVS est, et apud omnes fere homines peruagata opinio, sorte sua contentum esse neminem. Etenim alter alterum beatum putat, seque prae illo miserum, suasque res deterioris esse fortunae conqueritur. Quamobrem miles fortunatos in primis mercatores: mercator vero milites beatos praedicat; agricola otium et commoda ciuitatis habet ante oculos: ciuis agricolarum vitam placidam, et procul a negotiis positam reputat beatissimam. Proinde fit, vt suae qnemqne fortunae poeniteat; nemo sibi in suscepto vitae instituto placeat, sed alienam suae praeferat sortem, suaque feliciorem inuideat; quemadmodum rem hanc Venusinus poeta in sermone primo ad Maecenatem elegantissime prosequitur. At vero quanquam in terris, si verum fateri volumus, nulla sit rerum conditio, nulla hominum fortuna tam splendida atque opulenta, quae absolutam possit plenamque hominis felicitatem efficere, quam nimirum nobis in altera et immortali vita Deus Opt. Max. in caelo sernatam voluit, vt proinde nemo vnus in terris felix, nemo sit vere ex omni parte beatus: nihilominus, dum mihi sapientis viri status ante oculos obuersatur, dum omnem eius vitae rationem tacita cogitatione contemplor, mutata profecto opinione, hominem certe quidem beatum apud nos reperiri posse minime dubito. Ita plane auditores: ego equidem in hac sententia sum, hominem doctrinae studiis deditum, hominem doctum, vnoque verbo, hominem sapientem esse plane beatum, suaque sorte, iure et merito haberi ac dici posse contentum. Haeretisne animo, et rem quasi omnino incredibilem vobis propositam esse putatis? Nequaquam. Sed si id mirum propter rei nouitatem, aut minus probabile propter auctoritatem eorum, qui repugnant, vobis esse videatur, oro vos atque obtestor, vt ne me leuitatis, aut erroris, indicta caussa, damnare velitis, sed rationes et argumenta, quae me in hanc sententiam pertraxerunt, benigne attenteque audiatis. Quod quidem si nunquam alias, hodierno die minime dubito, vos esse facturos; neque enim leuis, neque vulgaris, at multo grauissima res agitur: illa scilicet vitae felicitas, quae nobis in hac ipsa, quam viuimus, vita contingere potest, et quam omnes tanquam maximum et extremum bonorum summopere expetunt et vnice quaerunt.

Neminem vestrum dubitare arbitror, quin vera mortalium felicitas in animi quiete ac tranquillitate

quillitate potissimum sita sit. Sed qua tandem ratione eam quis assequi perpetuoque frui possit, non est communis atque vna omnium sententia. Putant plurimi, immensis opibus congestis, sese beatissimos omnium fore, quod nimirum cuncta, vt aiunt, pecuniae obediant, quod opes hominem nihilo indigentem sufficientemque sibi faciant. Sed minime aduertunt, quod molestias grauissimasque curas afferant opes illae, quae adimi, quae amitti possunt, quae denique in arbitrio ac potestate fortunae positae sunt. Taceo, quod nunquam satiatur, sed crescit in dies cupiditatis sitis, atque animus haec inhians nunquam id tantum habet, quo expleri queat, cum auaritiae nihil vnquam sit satis. Hinc Horatius Flaccus sapienter pronunciauit: non possidentem multa vocaueris recte beatum. Alii vero pollicentur sibi felicitatem, si ad primariam aliquam dignitatem, si ad supremum magistratum iter sibi munierint. At, pro Deus immortalis, quae res tam lubrica et incerta, quam quae vel a multitudinis fauore, vel a praepotentis hominis voluntate et gratia pendet? Quam saepe magnas spes et bene confirmatas vna nox, aut aliqua parua rumoris aura subuertit? Non est in hac Vrbe res noua oculis nostris, aut insolens. Quid vero homines illi, qui deliciis affluunt, qui gemmis auroque ornati, qui vnguentis delibuti incedunt, ac somno luxuque perditi in otio ac quiete vitam ducunt, nonne tibi lauti ac beati esse videntur? Errat vehementer, errat, qui eiusmodi homines (si homines magis, quam pecudes dicendi sint) tranquillam ac beatam vitam agere, sibi persuadeat. Anguntur illi saepe animo, ipsisque displicet, otio inertiaque marcescere; et cum nihil splendidum, nihil se suisque maioribus dignum agere possint: vitam doloris ac molestiae plenam traducunt. Cum igitur nec diuitiarum copia, nec bonorum splendor, nec vitae mollioris otium, quae bona plerique homines prima et omnium longe praestantissima putant, sinceram in animo tranquillitatem pariant, neque ex iis optata vitae felicitas expeti possit: quid aliud restat, nisi vt in sapientiae studio, aut nusquam alibi, beatae vitae rationem consistere posse iudicemus? Hinc M. Cicero, quid est, inquit, per Deos, optabilius sapientia? Quid praestantius? Quid homini melius? Quid homine dignius?

Verum vt ad id, quod propositum est, propius accedamus, cogitate mecum, Auditores, quid tandem sit pax illa et animi quies, quam sapientis propriam esse dicimus, nisi hominem ab omni solicitudine animique perturbatione vacuum esse ei immunem? Hoc autem consequi profecto, praeterquam sapiens, nemo potest. Cum enim animus noster in duas veluti partes, vt philosophi volunt, diuisus sit; alteram rationis participem, alteram vero expertem et nobis cum brutis animantibus communem: persaepe fit, vt in hac motus turbulentissimi, tum ad iracundiam, tum ad cupiditatem impellentes exoriantur; ex quibus permultae aliae aegritudines ac perturbationes, tanquam familiae, in nos deriuantur: in quas nisi ratio, quasi dux et moderatrix, imperium teneat, in maximas calamitates grauissimasque aerumnas hominem delabi necesse est. Hinc enim odia, hinc liuor, hinc ambitio, hinc sexcentae aliae teterrimae pestes, quae rationis iugum excutere, eamque de sede sua deturbare conantur. Vnde autem homini in tanto rerum discrimine summoque periculo arripienda sunt tela ad infestissimos eiusmodi hostes confodiendos longe-

que propulsandos, nisi auxiliares sapientia manus viresque conferat? Ita est profecto. Bonarum artium studia, philosophorum monita, historicorum exempla, musarum cantus, sunt quaedam quasi propugnacula, quibus hostium impetum et aggressiones homo sapiens repellit. Proinde nullum tam triste infortunium, nulla tam acerba calamitas occurrit, vt vere possit eius animi tranquillitatem perturbare. Cogitat enim, quid forti et sapiente homine dignum sit, quid grauitas, quid animi magnitudo, quid vita hactenus praeclare acta, quid literarum studia, quid denique publica dignitas abs se postulet, atque in eo statu rerum efflagitet. Possem hoc loco tum ex vetere, tum ex recentiore historia infinita fere eorum exempla in medium proferre, qui e literarum sinu tantum quietis ac tranquillitatis hauserunt, vt asperrima quaeque aequissimo animo tolerauerint. Non de Anaxagora, non de Dione, aut Xenophonte loquar, quos in acerbissimo filiorum funere nihil ingemuisse, nihil animo commotos fuisse, memoriae proditum est. Satis sit ad memoriam vobis reuocare Dionysium illum, Syracusanum tyrannum, qui, propter improbitatem e fastigio regiae dignitatis deiectus, et in exilium pulsus, ad eam miseram conditionem redactus est, vt Corinthi pueros grammaticam doceret. Hic aliquando interrogatus, quid Plato, quid Philosophia tandem sibi profuisset, libere respondit: id sibi profuisse, vt iacturam regni et atrocitatem fortunae placide tranquilleque perferret. O magnam doctrinae vim, quae facit, vt tyranni quoque, quorum animus conscientiae stimulis, tanquam ardentibus furiarum taedis agitari perpetuo solet, dulcedinem suam degustent curarumque leuamen inueniant! Sed fortasse Dionysius poenam illam aequo animo tolerabat, quam iustam, ac sceleri suo debitam esse intelligebat. Quid si homo innocens, imo spectatissimae virtutis exemplum, bonis omnibus, honoribus, patria, carissimis filiis, vita denique spoliari se, summa animi tranquillitate, summaque constantia spectet? Seuerinum Boethium dico, clarissimum illud Romanae virtutis lumen, qui consulari dignitate, amplissimis opibus, ac patria amissis, nihil est animo commotus, sed eadem mentis atque oris serenitate et diuturni carceris squalorem tolerauit, et carnificis vultum telumque excepit. Erat ille Romae ex illustri Torquatorum familia natus, Graecis ac Latinis literis ab adolescentia eruditus; erat Geometriae studiis instructus, in Arithmetica, in Musica apprime versatus. Quicquid ex Logicae artis subtilitate, quicquid ex naturali scientia, aut morali disciplina fuerat ab Aristotele subtiliter, obscureque literis traditum, summo ille ingenio, commentariis, doctisque expositionibus illustrauerat; cumque Ticinum, conspiratione malorum a Theodorico, Gothorum Rege, relegatus fuisset, pulcherrimum illud de consolatione volumen conscripsit, in quo M. Tullium sibi proposuit, qui, vt extinctae filiae desiderium leniret, de animorum immortalitate disceptans, Tulliam vitae superstitem comprobauit; ita Boethius de falso ac vero bono, tum etiam de prouidentia disputans, nihil sine diuino numine mortalibus euenire declarat. At Ciceronem ipsum in eo superasse videtur, quod cum ille carmen non attigerit, Boethius, quo vtile dulci misceret, rem tum oratione, tum carmine ita est prosecutus, vt ad vtrumque sibi ingenium non defuisse demonstrauerit. Ecce vobis in hoc clarissimo viro non adumbratam, sed expressam veram sapientis imaginem!

imaginem! Vidiſtis animi tranquillitatem indelibilem maximis curarum fluctibus minime perturbatam. Vidiſtis conſtantiam nullis aduerſis caſibus perculſam, aut oppreſſam. Vidiſtis denique, quid poſſint doctrinae ſtudia ad aſſequendam mortalis vitae felicitatem. Quemadmodum enim, qui Olympi verticem attigerunt, procellas quidem et tempeſtates infra ſe poſitas vident, dum ipſi interea nullis ventorum turbinibus, nullis imbribus obnoxii ſunt, imo ſemper eadem caeli facie, eademque ſerenitate gaudent: ita ſapiens turbulentiſſima quaeque deſpiciens, ſemper quietus ac tranquillus, placidiſſima vitae ratione perfruitur. Omnis quippe animi aegritudo leuari poteſt ſuauiſſima meditatione literarum. Atque hinc eſt, quod Ariſtippus homines doctrinae deditus non immerito Deorum ſimulacra nuncupauerit: quod nimirum, ſicut illi ſempiterna pace ac immutabili vitae tranquillitate laetantur, ita ſapientis animus in beatiſſimo literarum otio perpetuum conquieſcit.

At, dicet quiſpiam, ſi tanta literati hominis pax eſt, et tam firma animi tranquillitas, quid eſt, quod ſaepe inter illos odia et contentiones acerrimae de leuiſſima etiam re, deque vno verbo excitentur, et maledicentiſſimis ſeſe libellis inuicem proſcindant? Quis ignorat rixas et tragaedias inter Laurentium Vallam et Poggium, inter Politianum et Merulam, inter Accurſium et Budaeum, inter Marinum et Murtulam, alioſque permultos magni nominis literatos? Vt nihil loquar de acerbiſſimis inimicitiis, quas in Italia, memoria noſtra, eruditi quidam inter ſe palam geſſerunt. Imo, ſi, quod res eſt, fateri volumus, ab ipſis fere literarum incunabulis aemulatio, et ſuperbiae comes, inuidia, literatorum animos occuparunt. Etenim Homerum Zoilus, etiam poſt ipſius fata, ſcriptis aduerſus eum libris, auſus eſt inſectari, vnde illi cognomen 'Ομηρομάστιγος. Sic quoque Antiochus Lemnius Socrati, Cydon Pythagorae, Xenophanes Colophonius Heſiodo, Amphion Cous Pindaro, Timocreon Simonidi, Aſinius Pollio M. Tullio, ob inuidiam fuere quam maxime infenſi. Vt taceam Rhemnium Polemonem, Alexandrinum grammaticum, qui M. Varroni, viro doctiſſimo, tantopere inuidit, vt illum acerbe reprehendere auſus ſit, et non Varronem, ſed Verrem, per ſummum contemptum, appellauerit. Darem profecto, Auditores, aduerſario manus victas, et cauſſa omnino caderem, niſi vos ſingulari mentis acumine, et ſapientia, praeditos cogitarem, qui veritatem a cauillationibus diſcernere optime noſtis. Continent ſane literarum ſtudia in ſe ſublime aliquid ac diuinum, per quod non minus doctus ab indocto, quam a brutis homo, diſtinguitur. Habent vero id cum ceteris rebus commune, vt, quantum optimus earum vſus vtilis eſt, et ad vitae felicitatem opportunus, tantum earum abuſus ac peruerſa ratio reipublicae noceat. Quid ſtomacho conducibilius, quam vinum? Quid tamen illius copia, et ebrietate, pernicioſius, cui Lycurgus, quo viam prorſus intercluderet, vites omnes excidi imperauit? Quid humano generi ferro et igne, ad omnem vitae vſum, magis neceſſarium? Quibus nihilominus, ſi ad populorum internecionem, et vrbium incendia, homines abutantur, nihil eſt, quod magis noxium et exitiabile excogitari poſſit. Ita quoque nihil eſt doctrinae ſtudiis ad humanae vitae felicitatem opportunius; nihil ad extirpanda vitia, faceſque cupiditatum reſtinguendas, magis aptum, ſi quidem illis probe vtaris. Quod ſi eiſ-

dem

dem ad gloriae cupiditatem et ambitionem, si ad lites et iurgia, homines abutantur, tantum abest, vt eorum animi tranquillitate perfruantur, vt potius inquieti, queruli et angoribus pleni in maximas se calamitates impingant. Beata vita, inquit Seneca, sine virtute esse non potest: proinde miseri et infelices eiusmodi homines ad nos non pertinent. De homine quidem sapiente disputo, vt iam antea dixi, non de literatoribus, qui aetatem in litibus flocci aestimandis, in gerris et nugis, conterunt. Pernego vero illum esse, aut dici posse, sapientem, qui sibi non sapit. Neque is sapere plane videtur, qui non intelligit, nihil esse homini inuidia perniciosius, magisque cauendum; nihil magis virum literatum dedecere, quam maledicentiam, et alienae laudis obtrectationem. Itaque longe abest a viro sapiente, de quo loquimur, aemulatio; longe abest inuidia, odium, atque contentio; longe abest demum, quicquid a leni placidoque animo prorsus abhorret.

At enim quod quispiam, sedatis animi motibus, curis vacuam et perturbationibus vitam ducat, eritne idcirco beatus? Profecto beatam vitam, vt M. Tullius ait, non depulsione mali, sed adoptione boni iudicemus oportet. Itane? Quasi vero animum pace ac tranquillitate tanta frui, bonum maximum dicendum non sit, ac ceteris omnibus praeferendum. At quis adeo rudis, adeo rerum omnium ignarus existit, vt nesciat, quanta sit semperque fuerit hominum literatorum gloria, quanta dignitas et amplitudo, quae, vt corpus vmbra, illos consequitur? Quis ignorat, eiusmodi bona sapientiae studiis constituta semper fuisse, quasi fundum auitum et amplissimum patrimonium? Sunt haec per se clara, neque in iis opus est argumentis, aut tempore abuti. Plenae sunt histori[illegible], pleni literarum annales. Verum non opes, non honores, non dignitates, non gloria, non triumphi comparandi vllo modo sunt cum ea felicitate, quae solet ex optimis studiis vberrime degustari. Te, Caesar Auguste, testem appello, qui, imperio terrarum potitus, perduellibus profligatis, ferocissimis nationibus domitis, tot clarissimis triumphis actis, totoque Orbe pacato, maximam potentiam adeptus, et in altissimo gloriae fastigio positus, nihilominus de fortuna saepe conquestus es, quod ea vitae tranquillitate careres, qua homo priuatus in literarum otio perfruitur. O incredibilem literarum vim! O singularem doctrinae suauitatem, quae, sapientissimi viri iudicio, longe praestat immensis opibus, et victoriis omnibus ac triumphis est omnium maxime anteferenda. Sed, haec Augustum quasi ad emphasin pronunciasse, forte quis suspicetur. Non ita profecto. Nam ceterae omnes tum animi, tum corporis voluptates habent sua tempora, certasque periodos, quas vltra progredi minime possunt. Venatio, palaestra, ludus, aliaeque oblectationes plurimae, quibus iuuenilis aetas tantopere gaudet atque exultat, pariunt senectuti molestiam. At vero firma perpetuoque stabilis est suauissima voluptas, quae ex doctrinae studiis degustatur. Imo tantum abest, vt, quae delectatio in discendo sentitur, ingranescente aetate, minuatur, aut satietatem taediumque afferat, vt experimento potius constet, eam in dies augeri, et maiorem sui semper in animo cupiditatem excitare. Etenim ex annalium memoria accepimus, sapientes fere omnes, et iam aetate longaeuos, ad extremum vsque spiritum doctrinam in amore ac deliciis habuisse. Gorgiam quidem Leontinum, Isocratis magistrum, legimus, ad centesimum et septimum aetatis


tis

tis annum doctrinae studio nunquam abstinuisse: Isocrates autem, quem eloquentiae patrem Cicero appellare solitus est, sex et nonaginta annos natus orationem panegyricam scripsit, et ad nonum vsque et nonagesimum, in quo e vita decessit, rhetoricam docuit. Carneades quoque, cum esset nonaginta annorum, non prius philosophandi, quam viuendi finem fecit. Quid vero Plato ille diuinus, qui octogesimo aetatis anno, in scribendo defixus, mortuus est? De quo illud merito dixerim, quod Valerius maximus de M. Varrone sene pronunciauit: in eodem lectulo et spiritus eius, et egregiorum operum cursus, extinctus est. Neque minorem e doctrinae studio voluptatem perceperunt sanctissimi PP. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliique inter Graecos et Latinos sexcenti, qui in literis canescere ad summam senectutem, eundemque sibi vitae ac doctrinae terminum esse voluerunt. Silentio praetereo, ne in dicendo longior sim, innumeros fere recentioris memoriae viros, sapientia et eruditione clarissimos, qui nuper in Italia, in Germania, in Gallia, aliisque Europae regnis floruerunt: quos, integram, et bene longam, aetatem in optimis studiis exegisse, plurima illa et immortalia, quae nobis reliquerunt, volumina satis superque testantur. Verum quid longinqua, aut externa conquirimus, cum domesticum nobis ante oculos, clarissimumque huius rei obuersetur exemplum? Nemo vestrum ignorat, quot quantosque studiorum labores Benedictus XIV. Pont. Max. iam inde ab adolescentia susceperit, et quantopere se in doctrinae studia ingurgitauerit. Ego quidem, vt verum fatear, hac de re olim minime mirabar pro eo, quo maxime, pollet ingenio, tum etiam, quod aetate tunc florens, et virium robore firmior esset. Huc accedit, quod in ea studiorum genera incumbere deberet, quae munerum abs se susceptorum ratio postulare videbatur. At vero quid illi opus fuit, vt, vbi primo Anconitanus Episcopus, deinde Archiepiscopus Bononiensis renunciatus est, nihil omnino de iis, quae ad optimum Ecclesiae pastorem pertinent, omittens, se tantum sacris studiis daret, quantum plurima eius volumina de Canonizatione Sanctorum recte instituenda, aliaque multa de Ecclesiasticis ritibus et institutis euulgata typis nos docent? Quid postea? Pontifex ipse Maximus factus, cum iam sextum supra sexagesimum ageret annum, Romanam Ecclesiam septem iam annos sapientissime gubernauit: at quanta interim, Deus immortalis, contentione, perpetuoque labore studiorum? Quem diem procul a libris studiisque traduxit immunem? Quot sanctiones Apostolicas, quot encyclicas epistolas, quot decreta saluberrima pro Ecclesiastica disciplina, aut restituenda, aut sarta tecta seruanda, solus ipse vnus commentatus est, ordinauit, perscripsit? Iam inde tot prodierunt volumina sacrae eruditionis et antiquitatis plena, vt non ab vno homine, summa iam senectute confecto, et infinitis prope Christianae Reipublicae negotiis impedito, sed a multis potius, vel ab eo, qui viribus integer sit, et otio plurimo abundet, profecta esse videantur. Cum igitur sapientissimus Pontifex nullum alium sibi de Pontificatu fructum decerpserit, praeter ingens istud perpetuumque doctrinae studium, quis tandem non intelligit, quam magna sit ac paene incredibilis doctrinae ipsius voluptas, quam neque annorum diuturnitas, neque imbecillitas senectutis, neque ipsa denique mentis lassitudo minuere potest? Ita est profecto. Dicam voce qua maxima potero: doctrinae

studia

ſtudia nullum taedium, nullam afferunt ſatietatem; imo ſemper augetur inexplebilis eorum ſitis et immenſa cupiditas. Contra vero honores ampliſſimi, et ſuprema ipſa dominandi ratio, quam propter, ſi ius violari fas eſt, maxime violandum eſſe Iulius Caeſar affirmare auſus eſt, tot curas et angores animo creat, vt in omni fere aetate ſummi reges clariſſimique imperatores, tranquillioris vitae cauſſa, ſeſe imperio abdicare non dubitauerint. Proinde mirandum non eſt, quod literati hominis tranquillitatem et otium Auguſtus adeo cuperet, adeo doctis inuideret, vt mallet inter eos priuatum agere, quam orbi terrae vniuerſo imperitare.

Quae cum ita ſint, iam ſatis intelligitis, ſapientis vitam eſſe omnium longe feliciſſimam, eamque opibus, et triumphis, et gloriae ſummorum imperatorum iure et merito eſſe anteferendam. Exulant enim ſapientis animo perturbationes ac vitiorum teterrimae peſtes, quae mortalium felicitatem, ac dulciſſimam pacem vsque quaque perturbant. O fortunatos nimium ſapientes! O viros plane beatos, qui procul a caecis cupiditatibus, ſceleruinque tumultu, ſemoti, in placidiſſima vitae ſtatione quieſcunt! Quis tantam illis, ac tam ſtabilem, felicitatem non inuideat? Quis eosdem ſorte ſua vere contentos eſſe non arbitretur? Vtinam vobis, Adoleſcentes optimi, hoc ipſum vnum beatiſſimae vitae genus experiri tandem aliquando liceat! Vtinam vos diligenti intentoque doctrinae ſtudio eo demum perueniatis, vt id, quod dicimus, reuera ita eſſe, intelligatis; nimirum inter varias et moleſtiſſimas huius mundi curas, inter grauiſſimas humanae vitae ſollicitudines, ſolum ſapientem eſſe beatum!



INDEX



INDEX
RERVM MEMORABILIVM

A.

Apollonii,

Ionii,

Lucullus,

Psittaci,

VLMAE, ex Officina Wagneri, *Cancellariae Typographi.*

